DE L. ANNAEO

CORNVTO

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

RVDOLFVS REPPE

[illegible]

LIPSIAE

[illegible]

[illegible]

Herrn Geheimrat Prof. Dr. Goetz ehrerbietigst überreicht vom Verfasser

DE L. ANNAEO

CORNVTO

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

RVDOLFVS REPPE

MISNENSIS.

LIPSIAE

TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

MCMVI

RETTVLERVNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

MARX WACHSMVTH

LIPSIAE D. XXVIII M. FEBR. A. MDCCCCV

PROCANCELLARIO
SEELIGER.

FRIDERICO MARX

Prooemium.

Ex uariis L. Annaei Cornuti operibus notissimus est libellus, quem scripsit ille philosophus Stoicam secutus doctrinam de theologia graeca. Namque cum ceteri quos composuerat libri aetatem non tulerint, hoc litterarum specimen integrum ad nostram memoriam peruenit; quod editum est post Fr. Osannum (Gottingae 1844) a C. Langio: 'Cornuti theologiae graecae compendium' Lipsiae 1881; neque unquam fere prorsus euanuisse eius notitiam ueterum nec non recentiorum testimoniis satis confirmatur. Quod inde potissimum factum recte iudicaueris, quod deorum fabulae explicatae allegoriarumque interpretationes, quae quidem ad theologiam pertinerent, aliquantum occupabant contentiones ecclesiae scriptorum, apud quos commemoratur haec philosophi disciplina. Itaque laudatur praeter Chaeremonem Stoicum Cornutus a Porphyrio apud Eusebium hist. eccles. VI 19, 8 (cf. Suid. s. u. *Ὠριγένης*, qui exscripsit praeter alios hunc locum. Nicephorus hist. eccles. V 13 = Migne, patrol. graec. CXLV p. 1096), quocum consentit Hieronymus in epistula ad Magnum oratorem urbis Romae (epist. LXX 4: I p. 429 Vallarsi = Migne, patrol. lat. XXII p. 667). Vnde uides Originem Graecorum de deis opinionem ex Cornuto nouisse. Neque minus honorifice illius nomen occurrit apud Theodoretum graec. affect. cur. II 95 (Migne, patrol. graec. LXXXIII p. 855 = p. 62 ed. I. Raeder), qui, ubi contra gentilium superstitionem fidei christianae uerissimam puritatem luculenter defendit, inter clarissimos theologos Graecos Cornuti mentionem infert: . . . *Κορνοῦτος δὲ ὁ φιλόσοφος τὴν Ἑλληνικὴν θεολογίαν ξυντέθεικε.* Praeter hos scriptores etymologici magni auctor s. u. *Ζεύς* (p. 408, 52 Gaisf., uide Langium in Cornuti editionis praef. p. V) Cornutum nominat et fragmentum ex illius libello exhibet. Deinde partem operis satis magnam in usum suum conuertisse Constantinum Palaeocappam in Eudociae quod ferunt Violario iam uidebis, cum

deorum epitheta ab ipso prolata comparaueris cum Cornuti deorum cognominibus (cf. adnotationes ad Eudoc. Viol. ed. Flach), qua de re recte monuit G. Studemund, anecd. uar. graec. (Berol. 1886) p. 262 adn. 19. Tum quonam pertineant quae ostentat Ioannes Tzetzes in Lycophr. u. 177 (I 455 ed. Mueller), magis sese callere usu allegoriarum quam Cornutum atque alios, quaeque adnotat in exegesi Hom. Iliad. p. 3, 17 ed. G. Hermann = L. Bachmann, schol. in Hom. Iliad. uol. I (Lips. 1835) p. 746, 15 de illo allegoriarum diuinorum nominum interprete: *ἕτεροι δὲ τῆς ἀλληγορίας τῶν θεϊκῶν ὀνομάτων* (sc. *ἐπεμελήθησαν*) *ὥςπερ καὶ ὁ Κορνοῦτος κἄνπερ ἀλληγορῇ ἀσυμβίβαστα· αὐτὰ μὲν γὰρ καθ' ἑαυτὰ λεγόμενα εἶναί τι δοκοῦσι· πρὸς δὲ τὴν τῆς Ἰλιάδος γραφὴν οὐ συνᾴδει συμβιβαζόμενα*, quicunque non nisi strictim attigerit compendium supra laudatum facile intelleget. Denique commemorari possunt duo eiusdem loci, ubi item Tzetzae iactatione et aliorum studia et Cornuti ipsius libellus uapulant. Nimirum melius tractauit allegorias Tzetzes quam Cornutus, Palaephatus, Heraclitus, Demo, Psellus, alii, quos nominat allegor. in Iliad. XVIII 651 seqq. (ed. P. Matranga, anecd. graec. I p. 166): ... *Κορνούτους Παλαιφάτους τε πάντας ἀλληγοροῦντας κτλ.* et prooem. in Odyss. 35 seqq. (I p. 225 ed. Matranga): . . . *Κορνοῦτον καὶ Παλαίφατον . . . καὶ εἴ τις ἄλλος λέγεται γράψας ἀλληγορίας.*

Sed praeter hoc genuinum Stoicae fidei symbolum alios confecit libellos Cornutus, quem uirum multiplicis doctrinae exstitisse scimus. Etenim latioribus finibus circumscriptam fuisse litterarum eius disciplinam uel inde colligas, quod magno concursu discipulorum eorumque haud ignobilium excellebat. Deinde restant operum fragmenta, quae colligenda atque apertius tractanda mihi proposui. Neque prorsus inutilia a me quaeri arbitror, quoniam nemo totam materiam, quantum uideo, adhuc ita congessit, ut euaderet specimen illius doctrinae quam maxime integrum atque expletum. Imprimis autem hac in re laudanda sunt, quae exposuit O. Iahn in prolegomenis quibus instruxit luculentissimam Persii editionem Lips. 1843; qui quanto ingenii acumine, labore, fructu temporis illius quo uixit Cornutus rationem explicauerit atque aetatis indolem significauerit nemo nescit. Scripserat ante eum de Cornuti uita et scriptis Gerardus Ioannes de Martini, cuius disputatio prodiit Lugd. Bat. 1825 inscripta: 'de L. Annaeo Cornuto philosopho stoico'. Qui cum laboris maiorem partem transtulisset in uitam philosophi describendam atque illud theologiae compendium accuratius tractandum sibi proposuisset, de eis libris, quorum

fragmenta hac dissertatione collecturus sum, non nisi pauca quaedam adumbrauit. Alia deinde protulit Fr. Osann in editione supra (p. 1) iam laudata: 'L. Annaeus Cornutus de natura deorum' Gottingae 1844. Accedunt E. Zeller, Philos. d. Griech. III 1[3] p. 689 c. adnot.; Teuffel-Schwabe, Gesch. d. röm. Litt. II[5] p. 726; M. Schanz, Gesch. d. röm. Litt. II 2[2] p. 284 seq. Denique praeter prosopogr. imp. Rom. I p. 56 no. 450 conferantur ea quae scripsit I. de Arnim, qui ultimus rem tetigit in Paulyi Wissowae encyclop. uol. I p. 2225 s. u. Annaeus no. 5.

Iam uero his praemissis ad propositum ipsum aggrediamur. Atque totius quaestionis instituendae fundamentum erit hoc, ut ea quae de uita philosophi perhibentur testimonia a scriptoribus proponam. Neque enim sine ulla contradictione quae disputauerunt hac de re uiri docti omni ex parte probare possum; neque fore ut haec quaestionis pars in reprehensionem incurrat spero, cum ex accuratiore uitae descriptione aliquantum sane redundet ad diligentiorem studiorum atque doctrinae notitiam.

I. DE VITA CORNVTI.

De uita Cornuti testimonia, quae ad nostram memoriam peruenerunt, haec sunt:

Suidas s. u. *Κορνοῦτος* = Hesychii Miles. onomatol. p. 123, 16 Fl.: [*οὗτος ὁ* (delenda sunt; cf. p. 7)] *Κορνοῦτος Λεπτίτης φιλόσοφος (Λεπτὶς*[1]) *δὲ πόλις Λιβύης), γεγονὼς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ πρὸς αὐτοῦ ἀναιρεθεὶς σὺν τῷ Μουσωνίῳ. ἔγραψε πολλὰ φιλόσοφά τε καὶ ῥητορικά* (*καὶ ῥητορικά* Flach alteri Cornuto dedit, de quo conferas p. 7 cum adn.).

Stephan. Byzant. s. u. *Θέστις* p. 312, 10 Mein.: *πόλις Ἀράβων. καὶ ἄλλη Λιβύης. ὁ πολίτης ἑκατέρας Θεστίτης.* [*ἐκ δὲ τῆς Λιβυκῆς Κορνοῦτος φιλόσοφος Θεστίτης χρηματίζων.*] (Verba *ἐκ δὲ τῆς . . . χρηματίζων* inclusit Mein.).

Stephan. Byzant. s. u. *Τέργις* p. 616, 23 Mein.: *πόλις ἐν Λιβύῃ πρὸς τῇ Αἰθιοπίᾳ. τὸ ἐθνικὸν Τεργίτης, ὡς τῆς Λέπτις Λεπτίτης. οὕτως καὶ ὁ φιλόσοφος Κορνοῦτος ἐχρημάτιζε Λεπτίτης.* (Verba *οὕτως καὶ . . . Λεπτίτης* seclusit ut aliena ab hoc loco Mein.).

Cassius Dio LXII 29, 2 (III p. 67 ed. Boiss.): *Παρεσκευάζετο δὲ ὡς καὶ τὰς τῶν Ῥωμαίων πράξεις ἁπάσας συγγράψων* (sc. *ὁ Νέρων*) *ἐν ἔπεσιν, καὶ περί γε τοῦ πλήθους τῶν βιβλίων, πρὶν καὶ ὁτιοῦν αὐτῶν συνθεῖναι, ἐσκέψατο, παραλαβὼν ἄλλους τε καὶ Ἀνναῖον Κορνοῦτον εὐδοκιμοῦντα τότε ἐπὶ παιδείᾳ. καὶ αὐτὸν ὀλίγου μὲν καὶ ἀπέκτεινεν, ἐς νῆσον δ᾽οὖν ἐνέβαλεν, ὅτι τινῶν τετρακόσια ἀξιούντων αὐτὸν βιβλία γράψαι, πολλά τε αὐτὰ εἶναι ἔφη καὶ μηδένα αὐτὰ ἀναγνώσεσθαι, καί τινος εἰπόντος ‛καὶ μὴν Χρύσιππος, ὃν ἐπαινεῖς καὶ ζηλοῖς, πολὺ πλείω συνέθηκεν᾽ ἀπεκρίνατο ὅτι ‛ἀλλ᾽ ἐκεῖνα χρήσιμα τῷ τῶν ἀνθρώπων βίῳ ἐστίν᾽. ὁ μὲν οὖν Κορνοῦτος φυγὴν ἐπὶ τούτῳ ὦφλεν κτλ.*[2])

[1]) Ceteri scriptores priorem huius uocis syllabam acutam pronuntiare solebant; cf. Buecheler, mus. Rhen. uol. LIX (1904) p. 638.

[2]) cf. Petr. Patr. exc. Vat. 64 (III p. 68 adn. ed. Boiss.): *Ὅτι ἐπαγγελλομένου Νέρωνος ὡς τετρακόσια γράφειν βιβλία πολλὰ αὐτὰ εἶναι ἔφη Ἀνναῖος*

Ioann. Antioch. frg. 90 (hist. graec. fragm. ed. Mueller IV p. 575): *Μουσώνιόν τε καὶ Κορνοῦτον μικροῦ μὲν ἐδέησεν ἀποκτεῖναι* (sc. *ὁ Νέρων*), *τῆς δὲ Ῥώμης ἐξήλασεν· ἄλλο μὲν οὐδὲν ἐπικαλῶν, ὅτι δὲ σοφοὶ καὶ ἄριστοι [τὸν] βίον ἐγενέσθην.*

Hieron. Chron. ad a. Abr. 2083 olymp. 211,3, qui est Neron. 13, p. Chr. n. 67/8 (ed. Schoene II p. 157): 'Nero cum ceteris uiris insignibus et Octauiam uxorem suam interficit Cornutumque filosofum praeceptorem Persii in exilium fugat.' cf. uers. Armen. ad a. Abr. 2080 olymp. 211, 1,[1]) qui est Neron. 10, p. Chr. n. 64/5 (ed. Schoene II p. 154).

Vita Persii (Sueton. p. 72 R. = Pers. Iuuen. Sulp. sat. ed. Iahn-Buecheler³ p. 58 seq.): 'Cum esset annorum XVI (sc. Persius), amicitia coepit uti Annaei Cornuti ita ut nusquam ab eo discederet. inductus aliquatenus in philosophiam est... cognouit per Cornutum etiam Annaeum Lucanum aequaeuum auditorem Cornuti. [nam Cornutus illo tempore *tragicus* (*grammaticus* substituit I. de Martini l. s. p. 50) fuit sectae *poeticae* (*stoicae* Pithoeus), qui libros philosophiae reliquit.] (Verba *nam Cornutus ... reliquit* seclusit Bergk, Zeitschr. f. Altert.-Wissensch. 1845 no. 16 p. 125)... usus est apud Cornutum duorum conuictu doctissimorum et sanctissimorum uirorum acriter tunc philosophantium, Claudi Agathurni (*agaturini* uel *agaturrini* libri: *Agathemeri* Reinesius: *Agathini* Osann) medici Lacedaemonii et Petroni Aristocratis (sic Pithoeus: *aristotegratis* libri) Magnetis, quos unice miratus est et aemulatus, cum aequales essent Cornuti, minor ipse (*minores ipse* libri: *Cornuti minores et ipsi* Reiffersch.)... reliquit circa HS uicies matri et sorori scriptis tantum ad matrem codicillis. Cornuto rogauit ut daret sestertia, ut quidam dicunt, C, ut alii, L et argenti facti pondo uiginti et libros circa septingentos [Chrysippi (seclus. Iahn et Reiffersch.)] siue bibliothecam suam omnem. uerum a Cornuto sublatis libris pecunia sororibus, quas heredes frater fecerat, relicta est.[2])

Κορνοῦτος καὶ μηδένα αὐτὰ δύνασθαι ἀναγινώσκειν. εἰπόντος δὲ Νέρωνος 'καὶ Χρύσιππος, ὃν ἐπαινεῖς καὶ ζηλοῖς, πολλῷ πλείονα ἔγραψεν' ἀπεκρίνατο ἐκεῖνος 'ἀλλ' ἐκεῖνα χρησιμωτάτων ἀνθρώπων βίος ἐστί', καὶ διὰ τοῦτο ἐφυγαδεύθη. (Legas uelim *χρήσιμα τῷ τῶν ἀνθρώπων βίῳ ἐστί ...*).

[1]) Translator Armenius Olympiadas aliter cum annis Abrahae componit atque Hieronymus.

[2]) Quae sequuntur de Cornuto saturas Persii retractante alio loco erunt proferenda; uide p. 72.

Satis profecto liquet Cornutum Neronis temporibus Romae fuisse. Neque strenuum illum sese praebuisse philosophiae sectatorem ex eis quae modo adscripsi negari licet. Eiusdem rei uestigia remanserunt in indice librorum Diogenis Laertii codici Parisino 1759 praemisso. Quem postquam ex codice Laurentiano plut. LXIX 35, qui descriptus est ex illo Parisino[1]), depromptum publici iuris fecit V. Rose in Hermae uol. I (1866) p. 370 seq. (cf. H. Vsener, Epicurea p. XI adn. 2), ex Parisino ipso, saeculi XIII codice[2]), edidit E. Martini, Analecta Laertiana (Leipz. Stud. XIX [1899]) p. 86. Apparet enim Diogenem Laertium in septimo uitarum philosophorum libro inter alios Stoicos etiam Cornutum dignum quem tractaret putauisse, qui liber quod maximam in partem periit satis lugere possumus. Disputauerat autem ille biographus secundum hunc indicem, quo exhibetur series philosophorum in singulis libris a Diogene laudatorum, praeter Zenonem, Cleanthem, Chrysippum, quorum uitae hodie extant, de uiginti Stoicae doctrinae sectatoribus, inter quos Cornutum fuisse testimonio sunt ipsius indicis uerba haec: *ἐν τῷ ζ̅ ζήνων· κλεάνθης· χρύσιππος· ζήνων ταρσεύς· δ[ι]ογένης· ἀπολλόδωρος· βοηθός· μνησαρχίδης· μνησαγόρας· νέστωρ· βασιλείδης· δάρδανος· ἀντίπατρος· ἡρακλείδης· σωσιγένης· παναίτιος· κάτων· ποσειδώνιος· ἀθ[η]νό[δωρος·] ἀθηνόδωρος ἄλλος· ἀντίπατρος· ἄριος· κορνοῦτος.* Qua in Stoicorum successione agmen claudit secundum temporis rationem Cornutus utpote qui post Arium Augusti temporibus florentem[3]) uixerit.

Priusquam autem ad diligentiorem uitae descriptionem me conuertam, id unum moneo, nomen integrum philosophi fuisse L. Annaeum Cornutum, quod, quantum uideo, Charisius GL I p. 127 K. solus seruauit, cum ceteri scriptores non nisi 'Annaeum Cornutum' uel 'Cornutum' uel 'Cornutum philosophum' uel 'Cornutum Stoicum' eum appellauerint. Ac quod a nonnullis perhibetur scriptura nominis *Κουρνοῦτος* siue, quod in codicibus extat, *Φουρνοῦτος*, rem tetigit C. Lang, qui quae exposuit inuenitur in editionis praefat. p. VI. Deinde magna uerisimilitudinis specie commendatur quod uiri docti coniecerunt: inde esse explicandum 'Annaei' nomen,

---

[1]) cf. Wachsmuth, mus. Rhen. XXIX (1874) p. 355. id., sillogr. graec. p. 53. Bonnet, mus. Rhen. XXXII (1877) p. 580. Vsener, Epicurea p. XI. Martini, Analecta Laertiana p. 162.

[2]) Huic saeculo cod. Paris. gr. nr. 1759 (P) attribuit Martini l. s. p. 84.

[3]) cf. Zeller l. s. III 1³ p. 614. I. de Arnim in Wissowae encyclop. uol. II p. 626 s. u. Areios no. 12.

quod libertus fuerit[1]) Cornutus L. Annaei Senecae, qui patruus fuit ipsius Lucani, quem in philosophiam introductum esse a Cornuto Persii uitae auctor testatur.

In examinandis autem scriptorum, qui de uita Cornuti rettulerunt, uerbis primum Suidam haud satis diligenter memoriam seruasse apparet. Etenim hoc tenendum est, perturbatione quadam duos eiusdem nominis uiros apud illum in unam personam coaluisse. Ac primum quidem in epitomatoris uerbis ipsis argumenta inclusa sunt, ex quibus in errore eum uersari elucet. Namque qua ratione uerba quae ad alterum Cornutum[2]) a philosopho alienum pertinent: *καὶ ἴσασιν ἤ τις ἢ οὐδεὶς αὐτόν* et ea quae praecedunt recte consocientur cum eis quae sequuntur de Cornuto philosopho: *ἔγραψε πολλὰ φιλόσοφά τε καὶ ῥητορικά,* non plane intellegitur, praesertim cum hebetem alterius doctrinam uel potius imperitiam Suidas expressis uerbis castiget. Repugnant deinde inter se res commemoratae, cum alter Cornutus fuerit Romanus rerum gestarum scriptor, alter philosophus atque rhetor, Libyca regione oriundus. Accedunt quae ex aliis scriptoribus assumuntur argumenta de Cornuti doctrina, quae in prorsus aliam partem spectare atque Suidae uerba facili negotio cognoscitur. Hac de causa quin Suidae uerba *οὗτος ὁ* (cf. p. 4) cum Reimaro ad Dionem LXII 29 (VI p. 472 seq. ed. Sturz) delenda sint nemini iam erit dubium. Itaque non nisi inde a uerbis *Κορνοῦτος φιλόσοφος* de nostro cogitari Cornuto putamus; ea quae praecedunt ad alterum quendam spectant eiusdem nominis hominem, de quo nihil cognitum habemus nisi quod ipse Suidas narrat, fuisse illum uirum praediuitem nec magno ingenii acumine praeditum.

Atque etiam alia ex parte haud uera tradentem deprehendes Suidam in eis, quae de fortuna, quam expertus sit Cornutus a Nerone, memoriae prodit. Errauit sane cum interfectum esse una cum Musonio philosophum — *πρὸς αὐτοῦ* (sc. *Νέρωνος*) *ἀναιρεθεὶς*

[1]) uide Fr. Marxium in Wissowae encyclop. uol. I p. 2227, 16.

[2]) De hoc, quem comparat cum Liuio historico, Suidas dicit s. u. *Κορνοῦτος* haec: . . . *πλούσιον μὲν οὖν ἀκούω καὶ ἄπαιδα τοῦτον, σπουδαῖον δὲ οὐδὲν ὄντα . . . ὡς τοῦ μὲν Κορνούτου παμπλείστους ἀκούειν, θεραπείᾳ τε καὶ κολακείᾳ τοῦ ἀνδρὸς συῤῥέοντας, καὶ διὰ τὴν ἀπαιδίαν ἐλπίδι κληρονομίας . . . ὁ χρόνος δὲ ὁ ἄπρατός τε καὶ ἀδέκαστος, καὶ ἡ τούτου φύλαξ καὶ ὀπαδὸς καὶ ἔφορος ἀλήθεια . . . τοῦ [δὲ] πλουσίου καὶ μέντοι καὶ περιῤῥεομένου τοῖς χρήμασι λήθην κατέχεαν τοῦ Κορνούτου, καὶ ἴσασιν ἤ τις ἢ οὐδεὶς αὐτόν.* Pergit: *οὗτος ὁ Κορνοῦτος κτλ.* (cf. p. 4).

σὺν τῷ Μουσωνίῳ — scriberet. Quod si comparamus cum eis quae hac de re protulerunt Cassius Dio atque Hieronymus, fieri non potest quin eorum auctoritate usi a uero aberrasse Suidam constituamus, quoniam exsilio multatus est Cornutus. At omnia recte profluunt, si uocabulo *ἀναιρεθείς* significari exsilium, non necem, accipimus. Nec profecto deerant qui cum Reimaro ad Dionem LXII 27 (VI p. 469 ed. Sturz) et O. Iahnio in Persii editionis prolegg. p. X hoc modo in suam sententiam conuerterent rem atque in exsilium mittendi uim uindicarent u. *ἀναιρεῖν*. Contra Bernhardy in Suidae editione s. u. *Μουσώνιος* in adnotatione et Zeller l. s. III 1^3 p. 689 in adnotatione non nisi interficiendi significationem premebant.[1] Sed quicunque priorem tuebantur sententiam, argumento utebantur Suidae uerbis s. u. *Μουσώνιος,* ubi priore loco legitur: *διὰ γοῦν τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ ἐλεγκτικὸν καὶ τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἐλευθερίας ὑπὸ Νέρωνος ἀναιρεῖται,* posteriore autem ex quadam imperatoris Iuliani epistula[2]) deprompta occurrunt uerba: *φεύγειν αὐτὸν ἐπέταττε Νέρων;* quibus ex uerbis qua ratione Suidas *ἀναιρεῖται* uocem intellexerit patere illi affirmant. Atque re uera Musonius a Nerone e patria eiectus est, quod uidemus e Tacit. annal. XV 71, Cass. Dion. LXII 27, Philostr. uit. Apoll. VII 16 p. 271, 28 Kays.; attamen infringitur argumentationis auctoritas parum stabilita hisce: quid? quod hoc quoque loco ad inscitiam uel incuriam Suidae, qua perturbatam rem supra uidimus, decurrere atque animo minus attento res alienas iuxta eum posuisse statuere licet? Quod si accipimus ne nimium decerpamus de Suidae indole minime est uerendum. Ceteroquin ex uno eodemque fonte de Cornuto et Musonio, utpote qui s. u. *Κορνοῦτος* alterum socium malorum alterius nominauerit, memoriam hausisse uidetur. Quae cum ita sint Suidam re uera de Cornuto interfecto, non de exsilio philosophi cogitasse arbitramur. Quod si quis hinc nondum confici posse autumat, is animaduertat cum aliorum tum

---

[1]) Osann l. s. p. XXII adn. utramque explicationem amplectitur ita ut 'Cornutum iussu Neronis in exilium iuisse eumque ibi defunctum esse' statuat, 'ita ut, cum exilium mortis causa appellari possit, Cornutus quodammodo a Nerone interemptus esse recte dicatur.'

[2]) Hanc epistulam, *Θεοδώρῳ ἀρχιερεῖ* missam, plene edidit A. Papadopulos Kerameus, mus. Rhen. XLII (1887) p. 24; cf. ibid. p. 26 seq. — Iulianus frg. γ' p. 608 Hertlein. — W. Schwarz, de uita et scriptis Iuliani imperatoris (diss. Bonnae 1888) p. 30 seq. Fr. Cumont, Recueil de travaux publiés par la Faculté de philosophie et lettres, Gand 1889, 3e fasc. p. 21 adn.

Suidae usum loquendi. Etenim ne uno quidem, quantum cognoscere licet, loco *ἀναιρεῖν* siue *ἀναιρεῖσθαι* uocabulo uim inesse expellendi eruere possumus. Quod ut satis intellegatur, exscripsi non nisi grauissimos locos ueritus ne iusto ulterius prolabar, cum tritissimus sit eius uocabuli usus apud Suidam.

En habes exempla:

Simillimo modo atque s. u. *Κορνοῦτος* hoc uocabulum exhibetur cum praepositione *πρὸς* coniunctum s. u. *Δημήτριος ὁ Ἀντιγόνου*: . . . *Ὀφέλλα* . . . *πρὸς Ἀγαθοκλέους* . . . *ἀναιρεθέντος δόλῳ*. Deinde genuinam interficiendi significationem expressis uerbis explicat Suidas his locis[1]): s. u. *αἱρεῖ* — *ἀναιρεθείς* — *ἀνεῖλεν* — *ἀνῃρῆσθαι* — *αὐθέντης* — *αὐτοσφαγῆ* — *αὐτοφόνῳ* — *κατακαίνειν* — *κατακαίνων* — *κατέκανεν* — *ὑποφόνια*.

De substantiuo *ἀναίρεσις* conferatur Suidas s. u. *Θεοδόσιος* (p. 494[a] Bekk.) — *Πιλᾶτος* — *σενάτορες*.

Exsilium uero uocabulis notatur hisce: *ἐξελαύνειν* (s. u. *Ἱππῶναξ*) — *ἐξορίζειν* (s. u. *Δομετιανός* p. 307[b] Bekk.) — *φυγαδεύειν* (s. u. *Θεμιστοκλῆς στρατηγὸς Ἀθηναίων*) — *φεύγειν* (s. u. *Ἀριστείδης ὁ Λυσιμάχου*) — *φυγή* (s. u. *Ἱεροκλῆς*) — *φυγάς* (s. u. *Ἔφορος*[b] Bekk.).

Accedunt ea quibus significatur certa quaedam expellendi ratio, uelut *ὀστρακίζειν* (s. u. *ἀρχὴ Σκυρία*) et *ἐξοστρακίζειν* (s. u. *Κίμων Ἀθηναῖος*) atque ea, quae poetico quodam colore exornata dicuntur s. u. *Ἀδάμ*: *ἐξεκύλισε τῆς οἰκείας ἱδρύσεώς τε καὶ στάσεως* (p. 22[b] Bekk.) et s. u. *Ἀκάκιος*: . . . *ἐξορίαν ἀΐδιον ἔχοντας* . . .

Quibus perlustratis iam satis cognosces Suidam re uera Cornutum a Nerone necatum intellexisse; nos autem cum Dione, Hieronymo, Ioanne Antiocheno expulsum esse philosophum statuimus. De tempore uero atque causa exsilii priusquam disseramus alia sunt absoluenda.

Atque primum quidem de patria Cornuti disputem. Leptiten nominat philosophum Suidas, proinde ac Leptim patriam, eundem sane secutus auctorem, commemorat Stephanus Byzantius s. u. *Τέργις*: *οὕτως καὶ ὁ φιλόσοφος Κορνοῦτος ἐχρημάτιζε Λεπτίτης*. Quod facile explicari potest, cum eundem, quem Suidas Hesychii

1) Omisi Suid. s. u. *ἀνῄρηκεν*: *ἀντὶ τοῦ ἐκποδὼν ἐποιήσατο Δημοσθένης*, cum inde nihil pro re aut contra rem lucremur. Significat hoc uocabulum apud Demosth. XIX 2 (p. 341, 18) idem atque *ἄτιμον ἐποίησεν*. cf. schol. VIII 338 Dind. et Liban. hypothes. p. 334, 4.

Milesii compilauit onomatologum, Stephanum exscripsisse sciamus post G. Wentzelii Hesychiana in Hermae uol. XXXIII (1898) p. 291 seqq. 309. Repugnant cum his Suidae et Stephani testimoniis uel cum hoc Hesychii testimonio ea quae in codice Rehdigerano, qui liber praestat inter Byzantii codices, adscripta sunt s. u. *Θέστις*: ex hoc oppido propter Leptim sito oriundum esse Cornutum (uide p. 4). Ad haec Meineke in editione ita (p. 312 adn.): 'Res ipsa plus quam dubia, cum reliqui omnes, atque ipse adeo Stephanus s. u. *Τέργις*, Cornutum Leptitanum perhibeant. Non dubium igitur quin haec aut ab imperito glossatore illata sint, aut scriptor in uitiosum codicem inciderit, in quo *Θέστις* scriptum erat pro *Λέπτις*'. Ad quae ego hoc addam: Certe is qui haec scripsit exemplum uoluit proferre rationis, qua ex urbis cuiusdam appellatione nomen populare efficiatur; idem profecto ualet de Stephani additamento s. u. *Τέργις* supra exscripto. Quae adnotatio ex eodem scriptoris consilio manauit, quo commotus Leptim attulit uelut exemplum s. u. *Σάντις*: . . . *ὡς Λέπτις Λεπτίτης* et s. u. *Ψέννρις*: . . . *ὡς Λεπτίτης Λέπτεως*. Neque uero scriptorem fuisse, qui re uera Cornutum Thesti natum esse tradiderit, prorsus negare ausim, cum quomodo s. u. *Θέστις* in additamento Leptis memoria in genuino codice suo loco exstiterit, propter sententiarum conexum uix intellegatur. Nam uerba *ἐκ δὲ τῆς Λιβυκῆς* in hoc uerborum contextu non nisi de altera Thesti aliena ab oppido in Arabum finibus sito accipi possunt. Quae utrum adscripserit Stephanus ipse alium secutus auctorem atque s. u. *Τέργις* an recentior quidam grammaticus uel interpolator diiudicari nequit. Quae cum ita sint, ad tuum ipsius iudicium iam redit res; quam ut certissimis argumentis expedias uix fieri poterit, nisi forte hoc unum statuere licebit, propter Thestis urbis uicinitatem de Lepti magna, si Leptim accipimus, in regione Syrtica sita cogitandum esse. Quales autem ibi habitauerint gentes, ex Silii Italici uu. III 256 seq.[1] apparet, quibuscum conferas, quae adnotata sunt CIL VIII, I p. 2/3.

De familia Cornuti nil iam cognitum habemus. Etenim Cornutum illum, quem nominat priore loco Suidas s. u. *Κορνοῦτος* historiarum auctorem, utpote qui *ἄπαις* dicatur, patrem fuisse philosophi contra uiros doctos de Martini l. s. p. 24 suo iure negauit;

---

[1]) Commemorat poeta 'Tyrium uulgus' atque 'Trinacrios colonos Afris permixtos'; Leptim nominat 'Sarranam', i. e. Tyriam uel Phoeniciam.

quocum caue credideris patrem exstitisse ipsum philosophum eiusdem quem *παῖ, παιδίον, τέκνον* alloquitur in theologiae compendio p. 1, 1. 28, 11. 41, 19. 52, 4. 65, 1. 76, 2 ed. Lang. Etenim 'ad artificium quoddam rhetorum uel philosophorum, quo uel initio uel etiam medio in opere ad puerum tanquam instituendum oratio conformetur', hoc esse referendum bene monuit Osann l. s. p. XXXI adn. Ad exemplum ab ipso laudatum Philostrati iunioris, qui hac fingendi puerum auditorem arte in imaginibus explicandis II p. 391, 29 K. usus est, adde Philodemi Epicurei *περὶ ῥητορικῆς* uolumina, quae ad Gaium quendam puerum missa esse demonstrant uerba *ὦ Γάϊε παῖ* I p. 223, 5 S.

De tempore uero quo sit natus Cornutus de Martini hanc exhibet (l. s. p. 27) sententiam, ut ad annum p. Chr. n. XX natales referat. Quibus quae opponam grauiora non habeo, etiamsi terminus paulo remotior haud displicet. Hoc sane tenendum est, anno primi p. Chr. n. saeculi L Cornutum Romae iam uersatum clarissimo magistri munere functum esse. Etenim Persium XVI annos natum ab eo in familiaritatem receptum esse ipsius uitae auctor testatur (uide supra p. 5). Accedunt uu. Pers. sat. V 30 seqq., ubi uirilis togae usum auspicatum sese Cornuti scholas adiisse poeta dicit. Qui cum anno XXXIV natus sit, tunc temporis hanc consuetudinem iniit.

Atque nunc, quoniam Persii mentionem rerum ordo obtulit, occasionem datam ratus de discipulis atque amicis Cornuti disserendi quae de illis erui possint dicam. Ac primum quidem quibus uiris doctis ipse usus sit Cornutus magistris, hac de re nihil constat, nisi forte de Martinio adstipularis, qui Athenodorum et Chaeremonem Stoicos illi attribuit praeceptores (l. s. p. 34—37). Ex omnibus autem quae traduntur permultos in eius disciplinam uenisse cognoscitur, quamuis paucorum nomina scriptores nobis reliquerint. Quorum ex numero primas deferimus ad A. Persium Flaccum, cuius ex uita luculentissimam assumere licet notitiam. Qui postquam per quattuor annos scholas adiit Remmii Palaemonis grammatici et Verginii Flaui rhetoris, Cornuto auctore ad Stoicorum praeclarissima praecepta animum conuertit. Quae quam penitus adsciuerit, saturae ipsius, quibus Stoicam doctrinam tueri poetam nemo non intellegit, satis demonstrant; qua de re conferantur Iahnii prolegg. p. LXIV atque Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtg. (1892) III p. 146. Tanto autem amore prosecutus est Cornutum discipulus, ut testamento illi relinqueret magnam pecuniae partem nec non

bibliothecae siue omnes siue permultos libros. Deinde ex eo, quod a poetae propinquis opusculum ipsius imperfecte relictum Cornuti curis mandatum est, quam artis amicitiae uinculis coniuncti fuerint illi concludas.

Grauissimum uero et praeclarissimum pietatis atque amoris testimonium extat in Persii satura V, a uiris doctis in optimis numerata. Vbi maximam in partem uersatur poeta in Stoicae libertatis laude, qua in commendanda et explicanda animum semper propensum in Cornutum egregie profitetur. Notissimae sunt laudes, quibus exornat magistri honorem; quas cum legeris quid sibi uelint uitae uerba 'nusquam a Cornuto discessisse Persium' recte intelleges. Atque primo quidem obtutu argumenti indoles cognoscitur: namque sine ulla uerborum iactantia candidum praeceptoris animum praedicandum sibi proposuit poeta, qui Cornutum ipsum, quem fingit praesentem, alloquitur tanquam alterum Socratem, a quo puerilem aetatem egressus ad ueram uitae doctrinaeque rationem conformatus et ad optima quaeque liberaliter deductus sit. Atque addit dulciorem uocis sonum laudibus, ubi exprimit amicitiam, quae sibi intercedat cum dilectissimo magistro, sinceram sane atque firmiorem quam quae unquam elui possit; cui quantum ipse debeat gratissimo animo pronuntiat. Laudatur quidem Cornutus genuinus Stoicae doctrinae assectator, egregius iuuentutis praeceptor, sanctissimus familiaris amicus. Stoicum praeter alia significant huius saturae uu. 62 seqq., ubi de studiorum seueritate descripta comparari possunt, quae ipse profert philosophus in opusculo nobis seruato (c. XIV p. 18, 1 L.): *καὶ γὰρ τῆς ἐν νυκτὶ ξητήσεως δεῖ πρὸς τὰ κατὰ παιδείαν.*[1]) Deinde quo modo se applicauerit ad Cornuti disciplinam, quam prompto sit receptus animo, inde a u. 30 testatur poeta. Porro una eademque quasi mente regi sese narrat atque illum, quocum numen quoddam placidum idemque caeli signum nascentem iam consociauerit.

Quoniam actum est de Persio, ad alios Cornuti discipulos uel amicos transeamus necesse est. Praeter Persium a Cornuto sapientiae praeceptis imbutus est M. Annaeus Lucanus, poetae amicus. Qui quam apte Stoicae fidei auctoritatem praetulerit in carmine suo nemo nescit. Quapropter inter praeceptores eminen-

---

[1]) Eadem Stoicorum seueritas exprimitur a Persio III 53 seqq.: '... sapiens bracatis illita Medis porticus, insomnis quibus et detonsa iuuentus inuigilat', ubi adsiduitatem atque philosophandi morem intellegit poeta eorum, qui a porticu *ποικίλῃ* nomen acceperant.

tissimos, qui laudantur in Lucani uita (Vacca Sueton. p. 77, 4 R.), etsi nominum mentio plana non fit, etiam Cornutum intellegi tuo iure arbitraris. Fuit praeterea Lucanus cum praeceptore in eorum numero, quos secum congregare solebat Nero (Vita Sueton. p. 51, 2 R.), sed partem secutus est aduersariorum imperatoris, qui praesentem rerum publicarum statum aegre ferebant.

Deinde arto amicitiae uinculo iuncti erant Cornuto propter communia litterarum studia Petronius Aristocrates atque Claudius Agathurnus. Aristocratem autem Magnesia urbe oriundum eundem esse qui commemoratur a Galeno[1]) de composit. medicament. XII p. 878. 879 K. coniecit M. Wellmann apud Wissowam uol. II p. 941 s. u. Aristocrates no. 27. Neque offendas uelim, quod appellatur grammaticus a Galeno, philosophus a Persii uitae auctore, quippe quae recte consociari posse ex ipsius Cornuti exemplo appareat. Accedit quod medicum quoque illum nominat Galenus, id quod cum quadam probabilitatis specie haud iniuria fortasse transferatur in hunc de quo agitur philosophi amicum, quoniam una cum Agathurno medico commemoratur.

De hoc autem uiro nil iam cognitum habemus, cum ne nomen quidem ipsius integrum seruetur a codicibus (uide p. 5). Qua de causa quae protulit Wellmann apud Wissowam uol. I p. 745 no. 8 de Agathino quodam, de quo cogitandum esse post Osanni coniecturam nominis aliquis dixerit, omittenda putaui. Neque quidquam lucramur ex duobus epigrammatis CISI 1750 (= Kaibel epigr. gr. 554): *Κλαύδιος ἰητὴρ Ἀγαθήμερος ἐνθάδε κεῖμαι* et CISI 2064 (= 558 K.): ... *Κλαύδιος ἰητὴρ Ἀγαθεῖνος* ..., quorum medicorum alterum uirorum doctorum[2]) alteri proposuerunt hoc loco intellegendum. Sed nulla est relicta auctoritas, quae plane rem expediat; hoc tamen tenendum est, artissimo studio illum medicum Lacedaemonium cum Cornuto in philosophiae disciplina uersatum esse.

Iam uidemus nobilissimorum hominum consuetudine Cornutum usum esse; deinde multos discipulos ex eius disciplina prodisse ex Cassii Dionis uerbis (uide p. 4) *εὐδοκιμοῦντα τότε ἐπὶ παιδείᾳ* concludimus. Quod si reputamus satis certa coniectura assequi possumus, haud parum ualuisse Cornutum etiam apud eos uiros,

---

[1]) cf. p. 879 K.: ... *καὶ πολλὰ τοῦ Ἀριστοκράτους γραμματικοῦ.*

[2]) De Agathemero cogitauit Iahn in Persii edit. p. 235 c. adnot. 11 (cf. Kaibel l. s.), de Agathino Osann l. s. p. XVIII et Wellmann apud Wissowam l. s.

quibuscum uersabatur in aula imperatoris. Quibus de uiris doctis, poetis, grammaticis, philosophis a Nerone immodico litterarum iactatore accersitis Taciti conferatur narratio in annalium libr. XIV cap. 16. Haec autem consuetudo sicuti aliis ita Cornuto quoque perniciosa fuit, cum immoderatum Stoicae libertatis propugnatorem sese praeberet. Etenim a Nerone propter nimiam oris libertatem in exsilium eiectus est. Accedebat quod per se minime remotus fuit ab imperatoris suspicione, cum Stoici male audirent propter linguam tristem atque nimis duram, qua Neronis foedissima consilia damnare solebant. Praeterea Neroni a matre contrariam esse philosophiam imperatori secundum Sueton. Neron. 52 persuasum erat. Augebatur uel maxime haec inuidia, cum ingeniolum illius offenderet Cornutus insolentius de carminibus Neronis iudicium exhibens. Insulam si quaeris, in quam exsul missus est philosophus, licet cum Martinio l. s. p. 29 cogites de Gyaro in mari Aegaeo sita, ubi damnati mittebantur; qua de re conferantur Tacit. annal. III 68. 69. IV 30. Philostr. uit. Apoll. VII 16 p. 271, 28 Kays. [Ps.-]Lucian. Tox. 17. — Iuuen. sat. I 73. X 170.

De tempore uero exsilii repugnant inter se quae memoriae traduntur. Ac primum quidem in Hieronymi chronicis anno Abrahae 2083 = p. Chr. n. 67/8 Octauiam Neronis uxorem ab ipso necatam atque Cornutum in exsilium missum esse legimus. Quibus uerbis, quod attinet ad tempus constitutum, quanta sit habenda fides ex hoc cognoscitur: Octauiam Poppaea Sabina auctore Pandateria insula clausam, deinde interfectam esse anno 62, non 67/8, ex Taciti annal. l. XIV c. 63 seq. compertum habemus. Priori igitur huius memoriae Hieronymianae parti fides abroganda est. Quapropter altera quoque pars in suspicionem uocatur, qua ad eundem annum Cornuti exsilium refertur. Quod si acciperemus, usque ad annum 62 exsilium rescribere deberemus, cui termino quae in uniuersum de uita philosophi statuere licet obstare uidentur. Neque enim anno 62, quo Persius admodum iuuenis e uita decessit, hoc iam obtigisse Cornuto arbitror, quoniam nil hac de re commemoratur in Persii uita neque, quod plus ualere uidetur, procul ab urbe uersari licet putare philosophum, qui, cum saturas ceterosque libellos post poetae mortem retractaret, illas seruandas, hos delendos existimauit. Quae cum ita sint aliam uiam ingrediamur necesse est. Atque commodius res expedietur, cum Dionis et Suidae narrationes examinauerimus una cum Taciti uerbis, quae tempus exsilii satis certum efficere uiden-

tur. Namque una cum Musonio eiectum esse Cornutum supra uidimus ex Suidae uerbis (p. 4) et ex Ioannis Antiocheni fragmento (p. 5). Musonium autem in exsilium misit Nero a. 65 secundum Tacit.[1]) annal. XV 71; quocum optime consentit rerum ordo in Xiphilini excerptis exhibitus, ubi ante annum C. Telesini et Sueton. Paulini, qui fuerunt consules a. 66,[2]) harum rerum mentio fit. Itaque omissis illis, quae de tempore uitiose extant apud Hieronymum, annum statuimus 65, quo Cornutus in exsilium abiit, eundem scilicet annum, quo tam multi Romanorum uiri insignes propter coniurationem Pisonianam mortem obierunt. Qua in coniuratione enarranda Musonium Rufum expulsum nominat Tacitus l. s., cui claritudinem nominis, cum studia iuuenum praeceptis sapientiae foueret, detrimento fuisse perhibet. Similiter fortasse res se habuit de Cornuto, quem aeque sapientiae praeceptis addictum et *εὐδοκιμοῦντα ἐπὶ παιδείᾳ* nouimus.

Q u a e p o s t e a C o r n u t o a c c i d e r i n t, hac de re prorsus tacent scriptores; neque ubi aut quo tempore mortuus sit philosophus compertum habemus. Musonius quidem post Neronis mortem Romam rediit (cf. Tacit. hist. III 81). Neque uero cum Buechelero facere possum, qui in mus. Rhen. uol. XXXV (1880) p. 390 seq. Stoicum senem etiam anno 84 uixisse conclusit ita: Scripsit enim Cornutus ad Silium Italicum de Vergilio auctore Charisio GL I p. 125, 16 K. (uide p. (79)): 'CIVITATIVM Annaeus Cornutus ad Italicum de Vergilio libro X "iamque exemplo tuo etiam principes ciuitatium, o poeta, incipient similia fingere".' Quae uerba, cum ad Siliana carmina pertineant, non ante annum 84 scribi potuisse. Quem annum eruit Buechelerus ex Silii Italici l. III u. 607, quo Domitianum appellat Germanicum poeta: 'At tu transcendes, Germanice, facta tuorum'. Atque re uera hoc imperatoris cognomen tunc temporis primum occurrit.[3]) Sed si semel suscipimus genus hoc argumentandi, attende quo serpat

---

[1]) Vides quae ratio intercedat inter Tacitum et Dionem, qua de re saepius disserebant uiri docti: neque enim Tacitum exscripsit Dio, qui plura praebet hoc loco, quoniam Cornuti nomen eiusque exsilium frustra quaeruntur apud Tacitum.

[2]) Annus p. Chr. n. 66 incipit apud Dionem LXIII 1, 1 (III p. 68 ed. Boiss.).

[3]) cf. Eckhel. doctr. num. uet. VI 378. 396. [IV 60, 1]. Cohen, Médailles impériales[2], Domit. 10. 106. 139. 301. 305. 323. 324. 351. 352. 353 seqq. Catalogue of the Coins of Alexandria and the nomes (London 1892), Domit. 300. 301. 330. Mommsen, Ephem. epigr. V (1884) p. 93.

res, cum ex eis, quae sequuntur apud Italicum, propter Sarmatas deuictos (uu. 616 seqq.) annus posterior efficiatur, qua de re iudicium protulerunt Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtg. III p. 206 et Schanz l. s. II 2 [2] p. 122. Deinde non est cur uerba a Charisio tradita Silianis carminibus iam confectis ad illum scripsisse Cornutum putemus. Facile fieri potuit ut consilium nouisset poetae philosophus, priusquam talia in publicum prodirent; neque qui contra dicunt certo poterunt confirmare argumento, uter poeta intellegendus sit in Cornuti uerbis apud Charisium, Italicus an Vergilius.

II. DE CORNVTI LITTERARVM STVDIIS ATQVE OPERIBVS.

Ac de uita Cornuti hactenus; exposui fere, ut potui, quae maxime ad uitae notitiam pertinere arbitrabar. Videamus nunc de litterarum studiis atque operibus, quorum quidem fragmenta ad nostram aetatem peruenerint. Priusquam autem ad singula doctrinae rudera perquirenda et explicanda me conuertam, in uniuersum quaedam monebo. Iam supra Cornutum Stoicam philosophiam coluisse uidimus, eamque doctrinae partem imprimis spectant scriptores, qui Stoicum uel philosophum laudant illum. Sed in uariis disciplinis Persii magistrum uersatum esse exploratum habemus. Operam dedit praeter philosophiae studium, quo prae ceteris delectabatur, etiam grammaticae et rhetoricae arti. Cui rei testimonio sunt cum operum fragmenta tum Suidae uerba s. u. *Κορνοῦτος* (p. 4), qui multa philosophiae atque rhetoricae documenta a Cornuto relicta esse tradit, titulis singulorum librorum omissis. Neque minus huc pertinet Gellii testimonium II 6, 1 (p. 79), qui inter grammaticos 'haut sane indoctos neque ignobiles' laudat Cornutum. Ratione igitur haud incommoda in duas praecipue partes discurrere quae tractaturus sum fragmenta constituas, quarum alteri ad philosophiam pertinenti praeter ea, quae scripsit Cornutus contra Aristotelis categorias, etiam libellus de deorum natura conscriptus, qui aetatem tulit, subiungendus est. Neque uero ita sunt firmis atque certis finibus disiunctae hae partes, ut uarias et diuersas et in omnem partem diffusas disputationes ad unum alterumue genus facili negotio referas. Reclamitat istius modi diuisioni ipsa natura fragmentorum, cum ea quae ad philosophiae disciplinam proprie spectant, prope accedant ad rhetoricam rationem. Sic ex eis, quae scripsit de Aristotelis categoriis, magis rhetorem quam philosophum cognosci iure aliquis confirmauerit. Praeter sermonem autem patrium Latinam et Graecam linguam

pariter, utpote qui Latine et Graece libellos composuerit, cognitam habuit.[1]) Atque re uera in patria Cornuti has linguas uiguisse docent tituli Leptitani. Etenim sermo Latinus atque Punicus occurrunt in uno eodemque titulo CIL VIII, I no. 7, cum omnes tres linguae reperiantur ibid. no. 15 et 16. Comparare fortasse licet hac in re exemplum Q. Ennii Rudini, quem tria corda habere sese dixisse, quod loqui Graece et Osce et Latine sciret, Gellius XVII 17, 1 memoriae prodit, neque scio an non inueniantur aptiora quam quae ex Aur. Vict. epit. de Caes. XX 8 de Septimio Seuero sermonis Latini et Graeci et Punici perito comperimus.

A. De Aristotelis categoriis.

Iam ad singula Cornuti opuscula enarranda atque, quantum fieri potest, explicanda nos conuertamus et primum quidem fragmenta libelli, quo de Aristotelis categoriis disputauit scriptor, contemplemur.[2]) Cuius reliquiae remanserunt in Porphyrii et Simplicii commentariis. Nam quod apud Porphyr. in Aristot. categ. p. 86, 23 Busse (Comment. in Aristot. uol. IV 1) legitur: *Κορνοῦτός τε ἐν ταῖς Ῥητορικαῖς τέχναις καὶ ἐν τῇ πρὸς Ἀθηνόδωρον ἀντιγραφῇ*, id uix dubitare licet quin idem significet scriptum quod citatur a Simplic. in Aristot. categ. f. 15^u 32 (ed. Basileae apud Michaëlem Isingrinium 1551 fol.) = p. 47^b 22 ed. Brandis:[3]) *Κορνοῦτος δὲ ἐν οἷς πρὸς Ἀθηνόδωρον καὶ Ἀριστοτέλην ἐπέγραψεν.* Neque uero ex his uerbis pleniorem libri titulum fuisse *πρὸς Ἀθηνόδωρον καὶ Ἀριστοτέλην,* id quod coniecit Iahn, prolegg. p. XI, satis elucet, cum qui proprie sit intellegendus Aristotelis liber recte quaeratur. Athenodorus quidem librum inscripsisse uidetur *Πρὸς τὰς Ἀριστοτέλους Κατηγορίας* auctore Simplicio l. s. (uide p. 77). Neque cum Iahnio l. s. p. XIII adn. conicias uelim Athenodori magis quam Aristotelis rationem ibi habitam fuisse. Hoc autem intellegitur, impugnasse Cornutum praeter Aristotelis de categoriis sententiam etiam Athenodori opinionem, qui ipse quoque aduersus Aristotelem scripserat. Citatur enim ille a Simplic. f. 41^r 11 = 61^a 25 Br. una cum Boetho, Aristone, Eudoro, Andronico, antiquis categoria-

---

[1]) cf. Macrob. Saturn. V 19, 3: 'Cornutus . . . tantus uir, Graecarum etiam doctissimus litterarum'; uide infra p. 81.

[2]) cf. C. Prantl, Gesch. d. Logik im Abendlande I (Leipzig 1855) p. 538 seq.

[3]) Excerpta huius commentarii publici iuris fecit Brandis in edit. Acad. Reg. Boruss. Aristotelis operum uol. IV (Berol. 1836).

rum interpretibus (cf. *τοὺς παλαιοὺς τῶν Κατηγοριῶν ἐξηγητάς*), et a Porphyr. p. 86, 22: *Ἀθηνόδωρος . . . ὁ Στωϊκὸς βιβλία γράψας Πρὸς τὰς Ἀριστοτέλους Κατηγορίας*; idem intellegendus est praeter Cornutum, ubi uniuerse *οἱ περὶ τῶν Κατηγοριῶν τι γράψαντες* a Porphyr. p. 59, 3 commemorantur. Iam uidemus eandem illum philosophiae doctrinam secutum esse quam Cornutus tuebatur; ubi non satis apparet, uter Athenodorus accipiendus sit, cum duo fuerint eiusdem nominis tunc fere temporis uiri Stoici: Athenodorus[1]) Tarso oriundus, Cordylionis cognomine praeditus, quem bibliothecae Pergamenae praefuisse scimus, an Athenodorus[2]) *ὁ τοῦ Σάνδωνος, ὃν καὶ Κανανίτην φασὶν ἀπὸ κώμης τινός* (Strab. XIV p. 674 C.), quo praeceptore utebatur imperator Augustus. Ad quem uno fere consensu uirorum doctorum[3]) sententiae hac in re inclinant; quibus quae obstent grauiora reperiri non possunt. Valde autem dolendum est, tam pauca ex eis quae Athenodorus de categoriis scripsit ad nostram aetatem peruenisse.[4]) Neque tamen Aristotelis categorias apertius explicasse illum, sed potius examinasse atque saepius refutasse singula ex eis, quae restant, maxima cum uerisimilitudine conicere licet. Quod suo iure iam statuit Brandis, Abhandlg. d. Berl. Akad. 1833 p. 273 seqq. Idem uel maxime ualet de Cornuto, qui quanquam contra Athenodorum scripsit, tamen saepius cum illo consentit. Apparet hoc iam ex eo quod una commemorantur ambo a Simplic. fol. 5r 24 = 30b adn.*** Br., sicuti apud Porphyr. p. 59, 10 occurrunt *οἱ περὶ Ἀθηνόδωρον καὶ Κορνοῦτον*. Deinde praeter quaedam minutarum causarum genera, ubi dissentiunt, arta inter se in uniuersum necessitudine continentur, quae uterque aduersus Aristotelem disputauit. Atque primo quidem obtutu unum occurrit, ubi mirum in modum congruunt Cornutus et Athenodorus, ut alterum ab altero pendere fieri non possit quin statuamus. Neque enim dubitare licet quin Athenodorum secutus sit Cornutus in explicanda categoriae indole;

---

[1]) cf. I. de Arnim apud Wissowam uol. II p. 2045 s. u. Athenodorus no. 18.

[2]) cf. ibid. no. 19.

[3]) cf. de Martini l. s. p. 35; Zeller III 1³ p. 586 adn.; Susemihl, Gesch. d. gr. Litt. i. d. Alex.-Zeit II p. 250; de Arnim apud Wissowam l. s. no. 19.

[4]) Citatur Athenodorus a

Simplic. fol. 5r 24 = 30b adn.*** Br.
15u 32 = 47b 20. 22.
32u 13 = 57a 13.
41r 11 = 61a 27.
47u 51 (*deest apud Br.*)

quam ita intellexit atque interpretatus est ille, ut quae Stagirites docuerat hac de re probare non posset. Qua ex falsa explicatione cum pendeat omnis eorum aduersus categorias disputatio, iam quae ad rem satis perspiciendam pertinent proferamus.[1])

Propria categoriae indoles et natura ea est, quae significet primarias entis condiciones; secundum hanc rationem decem enarrantur categoriae [Aristot.][2]) Categ. c. 4 p. 1ᵇ 25: *τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει ἢ ποσὸν ἢ ποιὸν ἢ πρός τι ἢ ποῦ ἢ ποτὲ ἢ κεῖσθαι ἢ ἔχειν ἢ ποιεῖν ἢ πάσχειν*; eaedem occurrunt Top. I 9 p. 103ᵇ22: *τί ἐστι—ποσόν—ποιόν κτλ.* Qui categoriarum numerus nil pertinet ad genera elocutionis; immo discernamus *ἑρμηνείαν* et *κατηγορίαν* necesse est, quod iterum atque iterum monuerunt antiqui interpretes.[3]) Etenim aliae sunt categoriarum notiones primariae, aliae elocutionis; quid uero intersit cognoscimus ex Porphyrii uerbis p. 58, 34 seqq. et ex eis quae optime disseruit Dexippus p. 12, 6 seqq. Itaque factum est ut duae disciplinae species compararentur, quarum nomina occurrunt uaria. Priorem autem locum obtinet categoriarum disciplina, quae, ut afferam grauissima, notatur hisce: *προηγουμένη θέσις τῶν λέξεων κατὰ τῶν πραγμάτων* (Porphyr. p. 58, 32) — *πρ.'' σημασία τῶν λέξεων* (Dexipp. p. 12, 12) — *πρώτη περὶ τῶν φωνῶν πραγματεία* (Porphyr. p. 59, 1) — *πρ.'' θεωρία* (Dexipp. p. 12, 16) — *πρ.'' σημασία* (id. p. 15, 16) — *πρ.'' θέσις* (Ammon. p. 14, 23). Elocutionem *δευτέραν* significant antiqui interpretes disciplinam; cf. praeterea: *δευτέρα χρεία τοῦ λόγου* (Dexipp. p. 15, 16). Proinde caue categoriarum doctrinae tribuas quae propria sunt artis rhetoricae, quod aperte monet Dexippus p. 12, 9 seqq.: ... *οὐδ' ὅσα ποιητικῆς ἢ ῥητορικῆς ἴδια θεωρεῖν οὐδαμοῦ προσήκει τι ταῖς κατηγορίαις· ἄλλης γὰρ θεωρίας τῆς περὶ τὴν λέξιν καὶ δευτέρας τὰ τοιαῦτα γινώσκειν.* Ita nec nomina aut

---

[1]) Praeter Porphyrium et Simplicium, ut rem satis difficilem probabiliter expediamus, adhibere possumus quae exposuit de categoriis Ammonius (ed. Busse in Comment. in Aristot. uol. IV 4); deinde magnam utilitatem praebent Dexippi Platonici *Ἀπορίαι καὶ λύσεις εἰς τὰς Ἀριστοτέλους Κατηγορίας* (ed. Busse l. s. IV 2); qui multa habet, quae ad Porphyrium aptius intellegendum ualent. Idem quanquam in uniuersum aduersarios refutat singulis nominibus omissis, tamen hac opusculi parte, qua *πῶς χρὴ τὰς κατηγορίας εὑρίσκειν καὶ μὴ ὑπάγεσθαι ταῖς τῶν Στωϊκῶν ἀπορίαις* (p. 11, 33 ed. Busse) disputat, eadem quae Athenodorus et Cornutus aduersus Aristotelem protulerant infirmanda rursus sibi proposuit.

[2]) Categoriarum librum genuinum esse Aristotelis opusculum suo iure negat Prantl l. s. p. 207 seq. 530.

[3]) uide paulo infra.

uerba nec propriam uocabuli significationem aut translationem neque coniunctiones, articulum, negationes, indefinita (cf. Dexipp. p. 32, 10 seqq.) hac in re considerabimus, sed *ἡ θέσις τῶν ἁπλῶν φωνῶν* (Ammon. p. 14, 2) siue *αἱ προηγουμέναι οὐσιώδεις κοινότητες τῶν ὄντων* (Dexipp. p. 12, 9) respiciendae sunt. In hoc uero errauerunt Athenodorus et Cornutus, qui rationem quae intercedit inter categoriam et elocutionis genera non satis perspexerunt. Etenim utramque disciplinam in eisdem rebus tractandis uersari sibi persuaserant atque omnia ad elocutionem referebant. Quod ita complectitur Porphyrius p. 58, 34 seqq., ut quid intersit inter *σημαντικὰς λέξεις τῶν πραγμάτων, καθό εἰσι τούτων σημαντικαί* et *σημαντικὰς λέξεις τοῦ τύπου*[1]) *τῶν φωνῶν, καθὸ τύποι εἰσὶ τοιούτων* recte intellexisse illos neget. Quam falsam rei opinionem utique a Stoicis profectam Dexippus refutat. Qui quin de Athenodori et Cornuti sententiis cogitauerit dubium non erit ei, qui legerit quae protulit Porphyrius p. 59, 10 et p. 86, 20 (uide p. 76). Praeterea Simplicius utrumque nominat utpote defensorem uel potius auctorem huius opinionis (uide infra). Neque tamen ad illum tanquam fontem genuinum atque primarium recurrere licet, quippe qui Porphyrianam doctrinam hac in re exhibere uideatur. Aptissime enim inter se cohaerere,[2]) quae occurrunt apud utrumque, uidebis ex his:

Porphyr. p. 59, 10:	Simplic. f. 5 r 24 = 30 b adn.*** Br.:
	καὶ δὴ καὶ ἀντιλέγουσιν αὐτῷ τινες ἀθετοῦντες τὴν διαίρεσιν, οἱ μὲν ὡς πλεονάζουσαν μάτην, οἱ δὲ ὡς
οἱ περὶ Ἀθηνόδωρον καὶ Κορνοῦτον οἱ τὰ ζητούμενα περὶ τῶν λέξεων καθὸ λέξεις,	*πολλὰ παρεῖσαν, ὥσπερ Κορνοῦτος καὶ Ἀθηνόδωρος, οἵτινες περὶ λέξεων οἰόμενοι τὸν σκοπὸν εἶναι, καθὸ λέξεις εἰσί, πολλὰς*
οἷα τὰ κύρια καὶ τὰ τροπικὰ καὶ ὅσα τοιαῦτα . . . προφέροντες . . . ἐλλιπῆ φασιν εἶναι τὴν διαίρεσιν, ὡς ἂν μὴ πάσης φωνῆς σημαντικῆς εἰς αὐτὴν περιλαμβανομένης.	*λέξεις προβάλλοντες, τὰς μὲν κυρίας, τὰς δὲ τροπικάς, ἐλέγχειν οἴονται τὴν διαίρεσιν ὡς οὐ πάσας τὰς λέξεις περιλαβοῦσαν, οἳ καὶ διαίρεσιν τῶν ὀνομάτων οἴονται ποιεῖσθαι κτλ.*

[1]) Quid sit *τύπος τῆς φωνῆς*, ipse explicat Porphyr. p. 58, 36; cf. etiam Simplic. f. 91 r 6.

[2]) cf. Brandis, Abhandlg. d. Berl. Akad. 1833 p. 282.

Excussa hac parte prope peracta est quaestio, qualis fuerit falsa ista categoriarum indolis explicatio. Id enim efficitur ut secundum rhetoricam rationem illos intellexisse eam statuamus; atque huc pertinebit, quod supra iam (p. 19) professi sumus, fieri non potuisse ut suum quisque arbitrium secutus idem dissentiret ab Aristotele alterius opinionis ratione non habita. Id ambigitur audiueritne Cornutus Athenodorum praesentem talia edocentem an aliunde eius nouerit doctrinam; quod dubito an non certo diiudicari possit; omnibus autem manifestum est, priorem si tuebimur sententiam, cogitandum esse non nisi de Athenodoro Cananita, ad quem referunt uiri docti p. 19 adn. 3 laudati opusculum aduersus Stagiriten scriptum, cum alterius Cordylionis aetas, utpote qui anno a. Chr. n. LXX grandaeuus iam fuerit (cf. Plut. Cat. min. c. X), non inciderit in Cornuti tempus. Quid ergo? nonne fundamenta doctrinae Athenodori et Cornuti eadem exstitisse uides? Neque uero ex eis, quae praeterea tradita sunt, utile quidquam elici potest, quia paucissima sunt quae comparari possint. Hoc certe tenendum est dissensiones non tam magnas fuisse quam leues et quae ad speciem rhetoricam pertineant.

Sed quae sit huius de quo agitur Cornuti libelli prima lex ac ratio, tractaui; nunc d e s i n g u l i s f r a g m e n t i s dicendum. Et quia numerum categoriarum in Aristotelis siue eius assectatorum distributione offendisse maxime Cornutus uidetur, ab hoc ordiar. Haud dubie enim non nisi de hac diuisione et de eis, quae huc spectant, Cornutum disputasse mihi persuasi, cum fragmenta perlegissem. Quae opinio sustinetur Athenodori exemplo, qui solam distributionem tractauit auctore Simplicio f. 15^u 32 = 47^b 18 Br. (p. 77); deinde Simplicius, si recte contextum uerborum intellexi, priore loco Athenodorum et Cornutum, quippe qui particulam quandam totius quaestionis absoluerint, nominat; posteriore loco affert Lucii atque Nicostrati discipulos, quos praeter hanc distributionem alia id genus (scilicet quae ad categoriarum disciplinam pertineant) oppugnasse aperte dicit. Tribus autem in rebus haerebant, qui contra numerum categoriarum scribebant; de quo audias uelim Porphyrium p. 86, 31: *τριττός* (sc. *ὁ τρόπος ἐστὶ τῆς ἀντιλογίας*). *οἱ μὲν γὰρ ὅτι πλεονάζει ἡ καταρίθμησις, οἱ δὲ ὅτι ἐλλείπει, οἱ δὲ ὅτι τινὰ ἄλλα ἀντὶ ἄλλων παρείληφε γένη.* Idem breuiter docet Simplicius l. s., accuratius explicat Dexippus p. 30, 35 seqq. Ex his Cornutus eorum opinionem est amplexus, qui imperfectam esse diuisionem obtinebant. Etenim quaedam uerborum genera atque

notiones repperisse sibi uidebatur, quae extra categorias Aristotelicas exsisterent quaeque, si modo ratio bene instituta omnia ad suam artis normam redigere deberet, ad rationem essent reuocanda. Qualia fuerint quae desiderabat optime cognoscitur ex Dexippi uerbis p. 32, 10 seqq., ubi quanquam Cornuti mentio plana non fit, tamen aduersariorum, qui mancam uituperabant categoriarum distributionem, sententiae[1]) enarrantur. Vnde uides, quod supra (p. 21) iam diximus, categoriarum disciplinam et elocutionis genera turpissime illos confudisse, quippe qui requirerent *ἀποφάσεις, στερήσεις, ἀόριστα, ἐγκλίσεις* (Dexipp. l. s.), *ἑτερώνυμα, πολυώνυμα* (Simplic. f. 5^r 24; uide p. 77) alia, non tam *στοιχεῖα λόγου* quam *μέρη λέξεως*, quae, cum per se nil ualeant, non nisi *κατὰ σύνταξιν* usurpata genuinum exhibent sensum. Quem uero proposuerit categoriarum numerum Cornutus, hac de re tacent scriptores. Neque uero augendum illum constituisse numerum putemus necesse est, quoniam suppositis aliis artis fundamentis uel minuere eum licet. Quod uerisimilius efficitur Stoicae doctrinae comparatione, quae defensionem sustinuit quattuor categoriarum, quae sunt *τὸ ὑποκείμενον — τὸ ποιόν — τὸ πῶς ἔχον — τὸ πρός τί πως ἔχον* (Simplic. f. 16^u 36 = 48^a 13 Br.; Plotin. Enn. VI 1, 25 [II p. 291, 28 ed. Volkmann]). Neque fugere te uelim Porphyrium priore loco (uide p. 76), ubi dicit de Cornuto, distributionem utpote mancam atque uitiosam illum improbasse memoriae tradere (*ἐλλιπῆ φασιν εἶναι τὴν διαίρεσιν*), posteriore autem loco (uide p. 76) de enumeratione (*τὴν εἰς τὰ αὐτὰ γένη καταρίθμησιν*) uerba facere. Quod ita expediendum esse arbitror, ut enumeratio recte dicatur de Aristotelis ratione, secundum quam sua quaeque auctoritate idem ualet categoria (cf. Dexipp. p. 39, 10), distributio siue diuisio de Stoicorum doctrina, a quibus praeter quattuor categorias, quae idem ualent, summum aliquid constitutum occurrit, *τὸ ὄν* siue *τὸ τί*, cui hae categoriae subiciuntur; cf. Diog. Laert. VII 61. Plotin. l. s. Alex. Aphr. in Aristot. Top. IV 1 p. 155 Ald. p. 301, 19 Wallies (Comment. in Aristot. uol. II 2). Zeller l. s. III 1^3 p. 92 adn. 2. Quod discrimen utrum animaduerterit Cornutus necne incertum est; si re uera ille respexit, iterum quo modo speciem rerum seruauerit rhetoricamque indolem praestiterit apparet.

Sequuntur fragmenta, quae ad singulas categorias pertinent.

---

[1]) De ceteris duobus contradictionis generibus cf. Simplic. f. 15^u 33 = 47^b 25 Br. Dexipp. p. 30, 35 seqq. — Simplic. f. 16^r 35 = 48^a 13 Br. Dexipp. p. 34, 4 seqq.

Ac primum quidem notandum est dissentire Cornutum ab Athenodoro in eis, quae de quantitate et qualitate profert Simplicius f. 33[r] 14 = 57[a] 16 Br. (p. 77). Namque Archytas, Athenodorus, Ptolemaeus mathematicus tres constituerant quantitatis partes, quae sunt *ἀριθμός* siue *πλῆθος, μέγεθος, βάρος* siue *ῥοπή*. Quod improbauit is quem exscripsit Simplic. f. 32[u] 13 = 57[a] 14 Br., cum *βαρύτης* similiter atque *πυκνότης* et *παχύτης* non quantitati, sed qualitati attribui debeat. Similiter autem Cornutus illam *ῥοπήν* secundum grauitatem et leuitatem pariter intellectam qualitatis categoriae subiungendam putauit. Deinde in relationis explicatione cum Athenodoro consentit in re, dissentit in uerbis, cum aliter definiat notionem illius categoriae apud Simplic. f. 47[u] 51 (p. 78). Quae disputauit de temporis definitione, ea magis artis physicae quam categoriarum doctrinae propria esse aliquis dixerit; cf. Simplic. f. 89[r] 13 = 80[a] 18 Br. (p. 78). Neque tamen est cur alii cuidam libro, de quo nil constat, eam quaestionem uindicemus, cum quo iure talia de categoriis proferri potuerint ex disputationis ratione, quam quidem exhibuerit Simplic. f. 88[u] 13 = 79[b] 48 Br., comprobari posse arbitrer: Iam de tempore agi in propatulo est, quod nescio quo modo accuratius definiendum sibi proposuit scriptor. Etenim quosdam offenderat praeceptum Aristotelis, quippe qui *χρόνον* atque *τόπον* pertinere ad *τὸ ποσόν* constitueret Categ. c. 6 p. 4[b] 22 seqq. Sic Archytas aliique referebant *χρόνον* ad *τὸ ποτέ, τόπον* autem ad *τὸ ποῦ* (Simplic. f. 87[r] 4 = 79[b] 1 Br.). Similiter Cornutus hac de re dubitabat, qui pro sua parte Archytae opinioni diffidebat atque quid tandem sit *χρόνος* explorasse putandus est. Atque re uera apud Simplic. l. s. complures temporis definitiones afferuntur, Aristotelis, Platonis, Theophrasti, Archytae, Andronici, Stoicorum ut Zenonis, Chrysippi, aliorum, quo sententiarum conexu Cornuti quoque fit mentio. Fragmentum autem Simplic. f. 91[r] 6 (p. 78) totum exscripsi, quia iterum quam uere Porphyrius atque Dexippus de Cornuti errore (uide p. 21) iudicauerint ex eo optime intellegitur. Neque enim quod dicit Simplicius l. s. *διὰ τὸ τὴν πρόθεσιν περὶ χαρακτήρων εἶναι λεκτικῶν* aliud sibi uult nisi prauam istam categoriarum esse atque elocutionis confusionem. Quarum doctrinarum alteram *τὰς σημασίας κατὰ τὰς τῶν ὄντων διαφοράς*, alteram *τὰ σχήματα τῆς λέξεως* siue *τοὺς χαρακτῆρας λεκτικούς* curare dicit.

Praeterea unum extat Cornuti fragmentum, quod cui libello sit adscribendum non satis apparet. Syrianus enim in commen-

tario, quem scripsit in Aristotelis Metaphysica, Cornutum commemorat p. 106, 5 Kroll (Comment. in Aristot. uol. VI 1) una cum Boetho, qui peripateticus praeter alia exhibuit notissimas categoriarum explicationes.[1]) Improbantur autem eorum de ideis opiniones, quippe qui ad generum notiones rettulerint ideas. Attribuit hanc Cornuti sententiam de Martini l. s. p. 93 arti rhetoricae, quam scripsit ille auctore Porphyrio p. 86, 23. Neque omnino quae exposui de Cornuti fragmentis, quae sunt de Aristotelis categoriis, quatenus pertineant ad libellum ab ipso huic disciplinae proprie destinatum uel ad *τέχνας ῥητορικάς* manifestum est, cum ad utrumque opusculum in una eademque causa nos releget Porphyrius l. s. De arte autem rhetorica Cornuti quid sentiam infra proferam (uide p. 58).

---

[1]) cf. Prantl l. s. I p. 450 seqq. Zeller l. s. III 1^3 p. 624 seqq. Scripsit Boethus ampliorem commentarium, quo categoriarum libellum continuo ordine explicauit; praeterea opusculum composuit *περὶ τοῦ πρός τι καὶ πρός τί πως ἔχοντος*. Quorum operum fragmenta quoniam nemo adhuc omnia in unum locum contulit, omnes quos inueni locos proponere e re esse putaui. Laudantur quidem Boethi de categoriis disputationes hisce locis:

Simplic. f.	1^r 2 = 40^a 23 Br.	Simplic. f.	41^r 10 = 61^a 10. 13. Br.
	3^r 17 = 29^a 47 (adn.)		41^r 11 = 61^a 26.
	3^u 18 = 29^a 49 (adn.)		41^u 12 = 61^a 34.
	6^u 7 = 41^b 7.		42^r 18 = 61^b 9.
	7^r 14 = 42^a 7. 9.		42^r 19 (*deest*).
	9^r 3 = 43^a 29.		43^r 26 = 62^a 19. 27.
	9^u 5 = 43^b 19.		47^u 51 (*deest*).
	10^r 2 (*deest*).		51^r 62 = 66^a 38.
	10^r 3 = 43^b 46.		77^r 19 = 77^b 23.
	12^u 12 (*deest*).		86^r 9 = 79^a 21.
	14^u 26 = 46^b 32. 41.		88^r 10 = 79^b 40.
	16^r 34 (*deest*).		94^u 19 = 81^a 5.
	20^r 4 = 50^a 2. 9. 10. 14.		94^u 20 (*deest*).
	24^u 39 = 53^a 38.		109^u 10 = 92^a 33. 43.
	26^u 47 = 53^b 48.		

Porphyrius in Aristot. categ. p. 59, 17 Busse.
Dexippus in Aristot. categ. p. 21, 19 Busse.
ibid. p. 45, 27 Busse.
Philoponus (olim Ammonius; cf. Busse, Ammonii in categ. praef. p. V seq. = Comment. in Aristot. uol. IV 4) in Aristot. categ. p. 5, 16 Busse.
Elias (olim Dauid; cf. Busse, Eliae in Porphyr. Isagog. praef. p. V seq. = Comment. in Aristot. uol. XVIII 1) in Aristot. categ. p. 117, 21 Busse.
Syrianus in Aristot. Metaphys. p. 106, 5 Kroll.

B. De anima quid docuerit Cornutus.

De categoriis, ut arbitror, satis dictum est. Sed eadem rursus oritur difficultas in eis quae nunc tractabo. Etenim quo libro id quod profert Iamblichus apud Stobaeum Ecl. I 49, 43 p. 383, 28 W. de anima edocuerit Cornutus frustra quaeritur. Atque disputatur hoc loco de mortis causa, utrum arteriis suffocatis an uiribus debilitatis an deficiente calore uita absumatur. Quo rerum conexu Cornutum simul cum corpore animam perire putauisse discimus. Tres enim erant philosophorum opiniones[1]: putabant alii animam in morte ante corpus perire, alii simul cum corpore eam extingui, alii superstitem eam per se solam corpore solutam diutius remanere. Hanc tertiam sententiam in uniuersum probabant Stoici, ita tamen, ut nonnisi egregias sapientium animas diu permanere statuerent, cum imbecillis stultorum atque impiorum animis aliquantulum uel nihil temporis relinquerent post mortem; cf. de Arnim, Stoic. uet. frg. II p. 223 seqq. no. 809. 810. 811. 817. 822. Quae cum ita sint suo iure Zeller l. s. III 1 ³ p. 693 adn. 3 Cornuti opinionem a uulgata Stoicorum sententia abhorrentem omni suspicione carere negat; qui, si re uera philosophus Leptitanus talequid constituisse putandus sit, nonnisi de anima animali, quae rationis expers est, cogitari posse profitetur. Animalium enim animas mortales neque durabiles putabant Stoici secundum Arii Didymi epit. phys. fr. 39 Diels (doxogr. gr. p. 471, 23. Euseb. praep. euang. XV 20, 6) = Stoic. frg. II no. 809: . . . *τὰς δὲ τῶν ἀφρόνων καὶ ἀλόγων ζῴων ψυχὰς συναπόλλυσθαι τοῖς σώμασιν.* Ac primum quidem Leptitanum esse intellegendum uerisimillimum fit eo quod Stoicam redolent doctrinam ea, quae tradit hoc loco Stobaeus (cf. Zeller l. s.); deinde uerba sunt Iamblichi, quem praeter Cornuti aduersus categorias opusculum[2]) alios quoque eiusdem libellos nouisse haud alienum est a probabilitate. Quod attinet ad doctrinam singularem, quae hic pronuntiatur, non ea mihi uidetur, quae collatis aliorum Stoicorum opinionibus non reuocari possit ad propriam eiusmodi philosophorum sententiam.

---

[1]) cf. Stob. l. s. . . . *ἡ ψυχὴ ἐν τῷ ἀποθνήσκειν προφθείρεται τοῦ σώματος ἢ συναπόλλυται αὐτῷ ἢ καὶ διαμένει καθ' ἑαυτὴν μετὰ τὴν ἐνθένδε ἔξοδον.*

[2]) Cornutum una cum Porphyrio refutat Iamblichus apud Simplic. f. 33 r 14 = 57 a 16 Br. (uide p. 77).

Consentit enim Cornutus quodammodo cum Panaetio,[1]) qui neque immortalem nec durabilem exsistere animam arbitrabatur secundum Ciceronis Tusc. disp. I 32 (§ 79), hac usus ratione, ut quidquid natum sit interire, neque id, quod aegrum esse possit, ab interitu liberum esse diceret; hoc autem ualere de anima asseruit. Altera ex parte, si anima una cum corpore perire dicitur, ratio quaedam intercedit inter utrumque, cum idem patiantur et anima et corpus. Talem uero rationem significat schol. Leid. in Hom. Iliad. Δ 115 = Stoic. frg. III p. 251 no. 50 uerbis hisce: *τοῦτο ἐκίνησε τοὺς Στωϊκοὺς καὶ Ἀντίπατρον ἐν τῷ περὶ ψυχῆς δευτέρῳ λέγειν ὅτι συναύξεται τῷ σώματι ἡ ψυχὴ καὶ πάλιν συμμειοῦται.* Quam opinionem expressis uerbis Stoicis uindicat scholiasta. Qua ex rerum natura per se maxima uerisimilitudine sequitur ut anima, quae corpore uiuo pariter augetur et minuitur, eadem fortuna utatur cum perit corpus; quod idem uult atque Stobaei *ἡ ψυχὴ συναναιρεῖται τῷ σώματι.* Quocum compares uelim Seruium ad Verg. Aen. III 68: 'anima quam Stoici herciscundi, id est medium secuti (scil. inter Platonem et Pythagoram) tam diu durare dicunt, quam diu durat et corpus.' Quod ita explicari debet, ut anima post mortis momentum aliquamdiu remaneat, quoad prorsus dissoluuntur corporis partes. Similiter autem Cornutus corporis et animae interitum in unum tempus incidere statuit, ita tamen, ut ad ipsam corporis in elementa dissolutionem non respiceret, sed eodem die, quo prohibetur spiritu corpus, animam occidere censeret.

C. Cornuti de Vergilio liber.

Haec de fragmentis Cornuti quae ad philosophiam pertinent. Reddam nunc, quod alterum esse professus sum genus scriptorum, de opusculorum reliquiis, quibus grammatici munus praestitit ille. Quarum in numero locum sane praecipuum obtinent quae traduntur de illius curis Vergilianis, quas cognoscere licet ex Seruii commentariis, Danielis quem dicunt scholiastae additamentis, scholiis Veronensibus, ex Gellio, Macrobio, Charisio. Atque in uniuersum haec studia significare uidetur Augustinus de utilit. credendi 17 = p. 21, 26 Zycha[2]) hisce: 'Asper, Cornutus, Donatus et alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet poeta possit intellegi,

[1]) cf. Zeller l. s. p. 563. A. Schmekel, die Philosophie der mittl. Stoa in ihr. geschichtl. Zshg. (Berlin 1892) p. 197.

[2]) Corp. script. eccles. lat. uol. XXV sect. VI p. I.

cuius carmina et theatri plausus uidentur captare.' Quibus ex uerbis tuo iure commentarios quosdam confecisse Cornutum concludas. Atque re uera a Charisio GL I p. 127, 20 K. L. Annaei Cornuti commentarii Maronis Aeneidos citantur, quos eosdem esse quorum occurrit liber X apud Charis. p. 125, 16 K. (uide p. 79) uiri docti adhuc coniecerunt. Contra Fr. Leo diuersam utrinque mentionis rationem respiciens alterum esse opusculum intellegendum p. 127, alterum quoddam significari alterius loci uerbis 'Cornutus ad Italicum de Vergilio libro X' contendit Nachricht. d. Kgl. Ges. d. Wissensch. z. Götting. Phil.-Hist. Kl. 1904 Heft 3 p. 259. Distinguit enim *ὑπομνήματα* i. e. commentarios, quibus poetarum carmina aliorumque scriptorum opera explicentur uel describantur, et *συγγράμματα περὶ τοῦ δεῖνα*, quorum longe est alia condicio, cum non tam scripta ipsa quam scriptoris personam, uitam, mores, indolem persequantur. Secundum hanc rationem, quam recte constare Aristarchi[1]) exemplo, Didymi[2]) *περὶ Δημοσθένους* libello, aliis comprobatur, praeter Cornuti scripta Vergiliana Hygini quoque libros a Gellio commemoratos I 21, 2 'Hyginus . . . in commentariis, quae in Vergilium fecit' et XVI 6, 14 'Hyginus Iulius . . . in quarto librorum, quos de Vergilio fecit' ita disiunxit, ut libros, quos de Vergilio scripserat ille, *συγγραμμάτων* generi tribueret, alteri generi adscriberet commentarios, quos in poetam idem composuerat. Quae res quanquam, qualis nunc est fragmentorum numerus, magis coniectura quam argumentis satis certis nititur, tamen ualde mihi arridet, neque ita, quae de Cornuto coniecit Leo, omni fide carere mihi uidentur, ut non quadam uerisimilitudinis specie commendentur. Primum enim Charisii memoriam p. 125, 16 K. diuersam esse ab omnibus, qui de Cornuti curis Vergilianis extant, locis nemo non intellegit hac de causa: quid? quod hoc solo loco exhibentur qualia non pertineant ad certum quendam carminum poetae uersum, quae non spectent ad textus recensionem siue singularum uocum etymologiam uel explicationem siue distinctionem uerborum siue sententiarum interpretationes siue alia id genus, quibus in rebus uersantur cetera fragmenta? Deinde, quod attinet ad Hyginum, Gellius certum quendam illius librum[3]) nominat

---

[1]) cf. Didymi schol. B 111. Lehrs, de Aristarchi stud. Hom. p. 21 seq. Ludwich, Arist. hom. Textkrit. I p. 22 seqq.

[2]) ed. H. Diels et W. Schubart, Berlin 1904.

[3]) Quintum librorum, quos de Vergilio fecit Hyginus, laudat Macrob. Saturn. VI 9, 7.

XVI 6, 14 (cf. l. s. s.), ubi de opusculo, ut Leonis uerbis utar, 'περὶ τοῦ δεῖνα' dicit, omisit similem adnotationem de commentariis. Item apud Charisium 125, 16 decimus ad Italicum de Vergilio liber occurrit, quam conuenientiam nolim praetermittas. At eadem est alterius loci ratio, quo citatur 'L. Annaeus Cornutus in Maronis commentariis Aeneidos X' (p. 127, 19 K.). Hoc sane quidem negari nequit, sed fieri non potest quin suspiciosum mihi uideri hunc numerum profitear. Etenim decimus quidam eiusdem scriptoris liber cum paulo ante a Charisio l. s. citetur, haud scio an illum numerum grammaticus nescio quis calidior huc transtulerit, idem opusculi membrum intellegendum esse ratus. Accedit quod, si uera statuimus, ad solitam reuocantur speciem commentarii, secundum quam ordo singulorum uersuum in explicatione carminum seruatur. Haerebant enim uiri docti alii in commentariorum nimia amplitudine, quam agnoscere necesse erat ideo quod in decimo libro de Aenea a Didone hospitio excepto disputari Charisius loco posteriore perhibet. Alii aliam omnino fuisse compositionem librorum suspicabantur, qua excludebatur quaestio ex ordine uersuum instituta. Qua de re conferantur Iahnii prolegg. p. XV et Ribbeckii prolegg. ad Verg. p. 124 et 127, ubi Cornutum non commentarium scripsisse continuum, sed singulas quaestiones potius tractasse exponitur. Nihil autem pertinet scholiastae Veronensis ad Aeneidos XII 472 (in Seruii uolumine III 2 [Lipsiae 1902] p. 449, 1 Hagen) lacera notatio '— (et) corp . . . | — uit . . . eo reli | — | ' ad Cornutum;[1]) quae uerba de Cornuti editione aliqua intellegi posse ab aliquo Ribbeck l. s. p. 127 coniecit, quia *Corn.* pro *corp* . . . scripserunt editores ante nouam A. Herrmanni codicis Veronensis XXXVIII collationem. Quare nisi aperte erroris conuincantur quae exposui, uerisimillimum putauerim cum Leone, opusculum Cornuti ad Italicum de Vergilio scriptum, quod decem minimum libros comprehendisse testis est Charisius 125, 16, diuersum fuisse a commentario, cuius fragmenta a me collecta sunt p. 79 seqq. De hoc autem quid iudicandum sit priusquam pronuntiem, pauca erunt dicenda de altero illo libro. Qui missus erat ad Silium Italicum, quem artissimo studio atque amore Vergilii carmina percepisse exploratum est. Quod uides ex ipsius carmine epico, quo imitatus est et admiratus Maronem. Ad quem spectant Punic. l. VIII uu. 593 seq.:

[1]) Similiter alienum a Cornuti nomine est schol. Bern. ad ecl. III 105 (p. 774 Hagen). cf. Ribbeckii prolegg. p. 97 seq. Hageni edit. praefat. p. 712 seq.

'Mantua, Musarum domus atque ad sidera cantu
euecta Aonio et Smyrnaeis aemula plectris.'

Habemus similia in Plinii[1]) epist. III 7, 8, quam scripsit paulo post Italici mortem ad Caninium Rufum, deinde apud Martialem epigr. XI 48, 1:

'Silius haec magni celebrat monumenta Maronis'

et XII 67, 5:

'. . . qui magni celebras Maronis Idus.'

Idem fundum emisse testis est epigr. XI 49 Neapolitanum, ubi sepulcrum erat Vergilii, illum ab inope possessore, quod monumentum adire ut templum solebat. Praeter haec Italici studia Vergiliana Cornutum ut libros dedicaret illi commouisse uidetur communis Stoicae fidei professio, quod egregie docuit Buecheler in mus. Rhen. uol. XXXV (1880) p. 390. Comprobatur hoc uirtutis Stoicae laudibus, in quibus maxime uersantur et uita et carmina illius. Qua de re conferantur Epicteti dissertat. III 8, 7 (p. 232 Schenkl), ubi animi aequitatem praedicat Stoici philosophi Italicus,[2]) ipse quoque constanter mortem expectans,[3]) deinde Punic. X 657 seq. XV 20 seqq. alia, ad quae accuratius intellegenda, ne res tractatas repetam, adhibeatur Ribbeckii Gesch. d. röm. Dichtg. III p. 204 seq. De tempore uero quo conscripta sint illa de Vergilio supra (p. 15) contra Buecheleri annum 84 sententiam protuli, neque fieri posse ut certus quidam annus efficiatur puto. Hoc unum, si re uera Italicum alloquitur apud Charisium 125, 16 Cornutus, statuere licet, non ante annum 68 scripsisse haec philosophum Leptitanum, quo anno 'emeritos annos Musis et Phoebo tradere proque suo foro Helicona celebrare' (Martial. epigr. VII 63, 11) coepit Silius Italicus.

---

[1]) Leguntur apud Plinium l. s. haec: 'multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, uerum etiam uenerabatur, Vergilii ante omnes, cuius natalem religiosius quam suam celebrabat, Neapoli maxime, ubi monimentum eius adire ut templum solebat.'

[2]) *Πῶς ἔχουσι Ῥωμαῖοι πρὸς φιλοσόφους ἂν θέλῃς γνῶναι, ἄκουσον. Ἰταλικὸς ὁ μάλιστα δοκῶν αὐτῶν φιλόσοφος εἶναι παρόντος ποτέ μου χαλεπήνας τοῖς ἰδίοις, ὡς ἀνήκεστα πάσχων, 'Οὐ δύναμαι', ἔφη, 'φέρειν· ἀπόλλυτέ με, ποιήσετέ με τοιοῦτον γενέσθαι', δείξας ἐμέ.*

[3]) Plin. epist. III 7, 2: 'ad mortem inreuocabili constantia decucurrit' (sc. Silius Italicus).

D. Commentarius in Vergilium.

Venio nunc ad Cornuti commentarium,[1] quem praeter Charisium 127, 19 laudat Gellius II 6, 1: ʻnonnulli grammatici aetatis superioris, in quibus est Cornutus Annaeus, haut sane indocti neque ignobiles, qui commentaria in Vergilium composuerunt . . .ʼ. Quo libro non solum Aeneidos, sed etiam eclogarum et georgicon uersus explicantur. Neque uariis grammatici atque interpretis officiis satisfecisse illum negari potest. Diligentius autem a me exponendum est, quibus in rebus imprimis Cornuti studia Vergiliana versata sint. Atque primum quidem fragmentorum argumenta demonstrant illum non incidisse in prauam eorum consuetudinem, qui non nisi abiecte et humiliter iudicarent de Vergilio, quos obtrectatores commemorat Donatus in uita Vergilii apud Reifferscheidium Sueton. p. 65. Quorum quidem obiecta in Vergilium Cornutus nouisse uidetur, sicuti aliorum quoque qui ante ipsum Maronis carmina explicauerant sententias, sc. Hygini atque fortasse Iulii Modesti, non ignorasse et respexisse putandus est. Cuius rei uestigia remanserunt in eis fragmentis, ubi plane contra ʻaliosʼ siue ʻmultosʼ Cornutus sententiam protulisse traditur. Sic ad Aeneidos uersum I 150 ʻiamque faces et saxa uolant, furor arma ministratʼ nouerat qui *uolunt* scribendum putarent pro *uolant* (conf. Seruius auctus ad hunc u.: uide infra p. 80). Is autem, qui primus *uolant* lectionem mutauit, uidetur commotus esse uersu Aeneidos VII 340, ubi ʻarma *uelit* poscatque simul rapiatque iuuentusʼ suo loco ponitur; quod recte statuit Cornutus. Simili modo non primus tractauit Aeneidos u. I 488 ʻse quoque principibus permixtum agnouit Achiuisʼ (sc. Aeneas), quod uidemus ex Seru. ad hunc u. (infra p. 80): ʻaut latenter proditionem tangit . . . aut uirtutem eius uult ostendere . . . Cornutus tamen dicit uersu isto ʻʻuadimus inmixti Danaisʼʼ ⟨Aen. II 396⟩ hoc esse soluendumʼ. Quem locum in quaestionem antea

[1] cf. O. Ribbeck, prolegomena critica ad P. Verg. Maron. opera maiora (Lips. 1866) p. 123—128. — I. Kirchner, de Seruii auctoribus grammaticis quos ipse laudauit. Annal. philol. suppl. VIII (1876) p. 471 seqq. — G. Laemmerhirt, de priscorum scriptorum locis a Seruio allatis. Comment. philol. Ienenses IV (1890) p. 321 seqq. — H. Georgii, die antike Aeneiskritik aus den Scholien und anderen Quellen hergestellt (Stuttgart 1891). — id., die antike Vergilkritik in den Bucolica und Georgika. Philolog. suppl. IX 2 (1902) p. 209 seqq. — O. Iahn, prolegg. ad Persium p. XV seqq

esse uocatum recte Georgii ad l. s. s. intellexit. Qui *permixtum* uocabulum compositum offensionem praebuisse suo iure arbitratur, uptote quod minime ad aciei tumultum a poeta significatum pertinere putatum sit. Cornutus uero attulit alterum poetae uersum, quo nocturna proelia enarrantur quibus interfuit Aeneas. Quibus in proeliis armati spoliis recentibus Troiani in hostem irruerunt mutatisque clipeis per dolum medios in Danaos delapsi sunt. Quod ita expressit Vergilius Aen. II 396 seqq.:

> 'Vadimus *inmixti* Danais haud numine nostro
> multaque per caecam congressi proelia noctem
> conserimus, multos Danaum demittimus Orco.'

Vnde apparet *inmixtum*, eiusdem stirpis uocabulum compositum, re uera pugnam significare. Videtur autem Cornutus, cum hunc locum afferret, quem recte constare modo uidimus, altera ex parte in errorem incidisse. Nam si recte Seruii adnotationem intellexi, praeter insolitum illud uerbum pugnandi explicandum etiam res ipsa, quam agnouit in Iunonis templi picturis Aeneas, curauit ut quibus uersibus a poeta proponeretur diceret. Etenim ad rem alibi a poeta descriptam hunc uersum (Aen. I 488) pertinere Cornutus putabat, quoniam Aeneas non nisi quae re uera olim ipsi acciderant in pugnis Iliacis agnoscere potuit. Id tamen non recte eum statuisse censebit, quicunque quantopere inter se differant fortitudo inter principes hostium uersantis atque dolus illius qui noctu medios in hostes ingrediatur considerauerit. Neque uero, ut hoc addam, quae sequuntur 'eoae acies' et 'nigri Memnonis arma' (Aen. I 489) me offendunt,[1]) quia nil impedit quominus imagini diuersae ab illa quam describit poeta uersu I 488 tribuantur, cum non uno eodemque picturae ambitu inclusa fuisse uideantur omnia quae uidit Aeneas inde a uersu I 456, sed pluribus tabulis atque uariis imaginibus templi parietes ornatos fuisse putare praestet.

Deinde criticorum uel obtrectatorum disceptationes inuenit Cornutus ad Aen. IX 672 = IX 675 Ribb. 'portam, quae ducis imperio commissa, recludunt', id quod intellegitur cum ex Seruii aucti uerbis ad hunc uersum tum ex noua quam exhibet Cornutus explicatione uocis *commissa*; uide Seruius ad l. s. (p. 81). Etenim quod alii portam commissam i. e. imperio absentis Aeneae curae

[1]) cf. Ribbeckii prolegg. p. 126.

principum uel aliorum Teucrorum fortium [1]) mandatam offenderant [2]) ideo quod uersibus antecedentibus nil poeta hac de re commemorasset, Cornutus 'uere et melius sensit, dicens, portam quae ducis imperio commissa fuerat, hoc est clausa, eam aperuerunt.' Quam explicationem cum Ribbeckio l. s. p. 126 et 181 contra Georgium l. s. p. 426 probabiliorem esse existimo. Neque enim ex Seruii uerbis, qui male intellexisse Donatum affirmat portam tanquam creditam Pandaro et Bitiae, qui duces non fuerint, concludi debet, ante Donatum neminem eandem protulisse sententiam. Immo talem commentatorum explicationem refutauit Cornutus, qui diligenter Vergilium lectitauerat. Namque cum nil de porta alicuius curis ab Aenea abscedente mandata in carmine legatur, portam ducis imperio clausam indicant hi loci:

Aen. IX 38:

'. . . ingenti clamore per omnis
condunt se Teucri portas et moenia complent.
namque ita discedens praeceperat optumus armis
Aeneas: si qua interea fortuna fuisset,
non struere auderent aciem nec credere campo;
castra modo et tutos seruarent aggere muros.
ergo etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
obiciunt portas tamen et praecepta facessunt
armatique cauis expectant turribus hostem.'

Ibidem 169:

'. . . nec non trepidi formidine portas
explorant pontisque et propugnacula iungunt,
tela gerunt. instat Mnestheus acerque Serestus,
quos pater Aeneas, siquando aduersa uocarent,
rectores iuuenum et rerum dedit magistros.'

Vide praeterea IX 54 seqq. 66 seqq. 595 seqq., quibus locis de inclusis intra portas Troianis narratur. Ceterum alterius explicationis de porta credita non modo certa ratio non apparet, sed manifestus est error eorum, qui de Aeneae absentis mandatum eius generis siue Mnestheo Serestoque siue Pandaro Bitiaeque datum cogitent, ex Vergilii uersibus IX 176 seqq.: 'Nisus erat

---

[1]) Cogitandum est praeter Mnestheum et Serestum, quos 'rerum magistros' et 'ductores' fecerat Aeneas, cum abiret ad Euandrum auxilium petiturus (cf. Aen. IX 171 seqq.) imprimis de Pandaro et Bitia, qui portam 'commissam' recludunt (IX 672 seqq.).

[2]) cf. Seru. et Seru. auctus ad l. s. s. Georgii p. 426 seq.

portae custos . . . it iuxta comes Euryalus . . . tum quoque communi portam statione tenebant' collatis uu. IX 221 seqq.:

> '"adceleremus" ait (sc. Euryalus). uigiles simul excitat, illi
> succedunt seruantque uices: statione relicta
> ipse comes Niso graditur, regemque requirunt',

ubi planis uerbis quinam uigiliarum officium portae custodibus tradiderint perhibetur. Vnde constat recte Cornutum Aen. IX 672 portam clausam intellexisse suoque iure illum contra criticos Vergilium defendisse. Quorum criticorum quanquam eis quos tractauimus locis sententiae per se satis agnoscuntur, tamen non innotuerunt nomina. Praeterea non nisi ad Aeneidos uersus talia occurrere qualia refutanda suscepit Cornutus uidemus, cum de eclogarum atque georgicon quos recensuit locis simile quid statuere non opus sit. Nil enim ualet[1]) quod a Seruio aucto ad georg. I 277 (p. 79) Probus ante Cornutum nominatur, quia Probi curae Vergilianae post Cornuti commentarios esse confectae uidentur neque satis constat, unde sciuerit scholiasta hanc Cornuti scripturam uocabuli *Orcus*, quam non tam in commentariis Vergilianis quam in opere quodam grammatico uelut in libello de orthographia scripto inuenire potuit. In quo re uera de adspiratione egisse Cornutum docent Cassiodorii excerpta GL VII p. 152 K.; de Probo uide infra p. 35 seqq.

Quod ad doctrinam in commentariis exhibitam attinet, non ex aliis auctoribus sumpsisse singula, sed suum ipsius iudicium secutus esse Cornutus uidetur. Neque alterius cuiusdam, quam adhibuerit praeter suum exemplar, editionis carminum uestigia remansisse puto in eis adnotationibus, quibus lectionem quandam discrepantem siue commendauit siue improbauit. Quae ita sunt comparatae ut ad ipsius coniecturam reuocari posse mihi uideantur. Sic Aen. I 45 scribendum proposuit 'scopuloque *inflixit* acuto' pro *infixit* contra codicum auctoritatem; *inflixit* enim uehementius esse putabat (infra p. 80). Comparauerat fortasse Vergilii uersum de Tarchone naufrago, cuius nauem Aen. X 303 '*inflictam* uadi dorso iniquo' nominat poeta. Deinde Aen. I 150 (p. 80) scripturam 'iamque faces et saxa *uolant*' — (multi *uolunt* inuenerant) —, quae nostris hodie exemplaribus continetur, tuebatur. Quae lectio in

---

[1]) Vide infra p. 37 seqq. Moneo hoc contra Steupium, de Probis grammaticis (Ienae 1871), qui p. 67 Cornutum post Probum Berytium uixisse inde sequi affirmauit.

ipsa quam adhibuit recensione exstitisse putanda est. Solebat autem in explicationibus, ut argumentis certis sententiam probaret, alios Vergilii uersus comparare, id quod cognoscimus ex eis quae adnotauit ad ecl. III 40 collato uersu georg. III 16 (infra p. 79), ad Aen. I 150 collato u. Aen. VII 340 (p. 80), ad Aen. I 488 collato u. Aen. II 396 (p. 80). Postremo codicum lectionem aspernatus est in Aen. u. IX 346 = IX 348 Ribb. interpretando, ubi 'et multa *nocte* (pro *morte*) recepit' legendum esse statuit, Seruio aucto teste (p. 81) Homeri exemplum secutus. De mutato textu haec tradita sunt. Sed lectiones, quas proposuit Cornutus, uix fieri potest ut comprobemus excepto illo u. Aen. I 150, ubi Vergilii ipsius tuetur scripturam *uolant*, cum rationes, quibus ceteris locis commendat sententias suas, quanquam non sunt ineptae, tamen non sint idoneae, quibus usi a genuina textus recensione recedamus. Neque scio an nimis subtiliter atque minus recte iudicasse uideatur ille in singularum uocum uel epithetorum explicationibus, quae refelluntur a grammaticis et Vergilii commentatoribus.

Atque primus quidem est M. Valerius Probus Berytius, quem Cornuti sententias impugnasse scimus ex Gellii libro noctium Atticarum II cap. 6. In hoc enim capite, quo praeter aliorum reprehensiones etiam Cornuti contra Vergilium obiectationes afferuntur, quin Probi copiis usus fuerit Gellius non iam dubium esse potest post acutas uirorum doctorum[1]) inuestigationes fontium. Accedit quod ea, quae protulit l. s. noctium scriptor ad Vergilium contra Cornutum defendendum, apertis uerbis Berytio uindicantur a Seruio ad ecl. VI 76 (uide paulo infra). Quo loco defensionem sustinuit ingenii Vergiliani Probus contra commentatorem, qui teste Gellio (uide p. 79) Vergilium uituperauerat, quod 'incuriose et abiecte' Scyllam Vlixis naues 'uexasse' dixisset, leuiorem et tenuem hanc uocem esse arbitratus. Probi autem auctoritas et apud Gellium et apud Seruium et Seruium auctum seruata apparet ex hac locorum comparatione:

Gellius[2]) II 6, 1 seq.: Nonnulli grammatici aetatis superi-	Seruius ad ecl. VI 76: 'uexasse rates' autem per tapi-

[1]) cf. I. Kretzschmer, de A. Gellii fontibus (Posnaniae 1860) p. 91 seq. Ribbeck, prolegg. p. 143. 144 seq. G. Thilo, quaestiones Seruianae I (Halis 1867) p. 12 seq. I. Steup, de Probis grammaticis (Ienae 1871) p. 107. 111. H. Georgii, Philolog. suppl. IX 2 (1902) p. 240 seqq. cf. praeterea Laemmerhirt l. s. p. 323. C. Hosius ed. Gell. (1903) praefat. p. XXVI.

[2]) Auctoris nomine omisso eadem profert Macrobius Saturn. VI 7, 4 seqq. cf. F. Skutsch, aus Vergils Frühzeit (1901) p. 100 adn.

oris, in quibus est Cornutus Annaeus, . . . reprehendunt quasi incuriose et abiecte uerbum positum in his uersibus ⟨ecl. VI 75 seqq.⟩ . . . Sed de uerbo 'uexasse' ita responderi posse credo: 'uexasse' graue uerbum est factumque (*tractumque* Macrob.) ab eo uidetur, quod est 'uehere', in quo inest uis iam quaedam alieni arbitrii; non enim sui potens est, qui uehitur. 'Vexare' autem, quod ex eo inclinatum est, ui atque motu procul dubio uastior est. Nam qui fertur et rapsatur atque huc atque illuc distrahitur, is 'uexari' proprie dicitur. (sequuntur singula Catonis et Ciceronis exempla).

nosin dictum est; nam non uexauit, sed euertit. quod Probus uult hac ratione defendere, dicens 'uexasse' uenire ab eo, quod est 'ueho, uecto, uexo', ut 'uexasse' sit 'portasse' et sine dubio 'pro arbitrio suo euertisse.'

Seruius auctus ad l. s. s.: 'uexasse' est enim uis quaedam alieni arbitrii; non enim sui potens est, qui uehitur.

bene ergo inclinatum uerbum est;
nam qui fertur et raptatur et huc atque illuc distrahitur, 'uexari' proprie dicitur. (sequuntur idem Catonis atque duo Ciceronis exempla.)

Haec tria testimonia non possunt non referri ad unum eundemque auctorem, quem Vergilii uerba defendisse apparet. Sed quaeri saltem licebit, num forte auctorum scholiorum scriptor hoc loco exscripserit Gellium uel Macrobium, quibuscum ad uerbum fere consentit. Sed ampliora cum protulerit Danielinus quem dicunt scholiasta Catonis atque Ciceronis exempla eisque addiderit secundum exemplum ex Ciceronis Verrinis sumptum, quod deest apud Gellium, id manifesto ex noctium Atticarum libro sua non hausisse scholiastam demonstrat; uide Georgii l. s. p. 241. Idem de Macrobio uix poterit non dici post disputationes Thilonis in Seruii uoluminis I praef. p. XXV et Georgii l. s. p. 18, qui de Velio Longo tanquam communi Gellii et scholiastae fonte cogitauit.[1])

[1]) Ad Vergilii uersum ecl. VI 76 eandem fere poetae reprehensionem profert scholiasta Bernensis, quam a Cornuto pronuntiatam esse supra uidimus. Sed mirum in modum hic interpres (p. 804 H.) adnotauit: '. . . Rates pro nauibus. Gurgite mari per tapinosim'. Quod recte illum scripsisse equidem negauerim, quoniam ex Gellii et Seruii uerbis quo spectet illud 'per tapinosim' uidimus. An quisquam putat 'gurgitis' uocem uiliorem reddere sententiam, cum ponatur pro mari? Scripserat enim Vergilius l. s.: 'Scyllam . . .
Dulichias uexasse rates, et gurgite in alto
a! timidos nautas canibus lacerasse marinis.'

Quae cum ita sint recte Probo Berytio Vergilii defensionem uindicasse nobis uidemur. Ad Probum etiam referenda esse putamus quae ad Vergilii uersum georg. III 5 de Busiride rege crudelissimo, quem 'inlaudatum' uocauit poeta, et ad Aen. X 314 de 'tunica auro squalente' contra poetae aduersarios proferuntur apud Gellium l. s.; uide infra p. 79. 81. Quo teste inter alios etiam Cornutus uoces modo commemoratas offenderat. Probi autem auctoritas comprobatur cum continuo apud Gellium sententiarum conexu tum pari disputationis ratione illius qui defendit, i. e. Berytii. Etenim sicuti 'uexasse' ductum esse a 'ueho' demonstrauit, ita similiter 'squalentem' a 'squama' deriuandum esse statuit;[1]) neque minus 'inlaudati' uocis defensio 'unde "inlaudati" participium est pro nomine' eandem sapit doctrinae indolem, quam nouimus in Berytio grammatico.

His tractatis non dubitassem ad alias Cornuti opiniones, quas quidem grammatici uel posteriores Vergilii interpretes refutauerint, transire, nisi restaret fragmentum, quo occurrunt Cornuti atque Probi nomina. Quod fragmentum a uiris doctis saepissime temptatum ne praeterisse quibusdam uidear, iam quae dicenda putauerim proferam. Legitur enim apud Seruium auctum ad georg. I 277 de 'pallido Orco': 'Probus *Orchus* (*us* litterae euanuerunt in codice olim Lemouicensi, nunc Leidensi L) legit, Cornutus uetat aspirationem addendam'. Ac primum quidem de Probo hic laudato

---

Vnde apparet, non satis intellexisse scribam commentatoris antiqui sententiam, qui in margine adscripserat ad 'gurgitis' uocem explicandam illud 'mari', ad totius uero uersus sensum uel 'uexasse' uocabulum tanquam leuius ac parum atrox uituperandum illud 'per tapinosim'. Quae cum ille in unam confuderit adnotationem, ita uidentur restituenda esse uerba interpretis Bernensis: 'Gurgite mari; uexasse per tapinosim'. Sed cui displicent quae proposui, quippe qui amplificauerim traditum uerborum ambitum, legat potius distinctione facta hoc modo: 'Gurgite mari. | Per tapinosim'. Quo efficitur ut uerba post distinctionem posita ad totius uersus sententiam in uniuersum pertineant.

[1]) cf. interpretationes uerborum imprimis Graecae linguae auxilio institutas, quas e Probi in Vergilii bucolica et georgica excerptis collegit B. Kuebler, de M. Valerii Probi Berytii commentariis Vergilianis (Berolini 1881) p. 29 seqq. Qui cum de Probi auctoritate dubitauerit propter ineptas illas atque, ut uoluit, tam notas explicationes, 'ut sectatores grammaticum derisuri fuerint, si eas exposuisset', Berytii auctoris doctrinam uindicauit Fr. Marx in luculentissima C. Lucilii carminum reliquiarum editione, uol. I (Lips. 1904) prolegg. p. LXXIV, 'ne nimis confidentes nos hodie simus in sententia ferenda de grammatico parum noto' iure admonens.

ambigebant uiri docti, utrum Berytius an alter eiusdem nominis grammaticus recentior intellegendus sit. Deinde uocabuli ipsius, de quo agitur, scriptura dubitationes attulerat. In tres autem partes imprimis discedunt, quae proposita sunt a uiris doctis;[1]) quorum alii scripturam tuebantur uocis *Horcus*,[2]) alii *Orchus*;[3]) tertius Steup l. s. p. 82 ita scripsit: 'Probus *Orcus* legit, Cornutus *putat* aspirationem addendam'.

Qua in re expedienda quoniam nulla fere tribui potest auctoritas codicibus neque satis utrum *Horcus* an *Orcus* an *Orchus* uere scribatur cognoscitur, primum uirorum doctorum tractandae erunt coniecturae. Incipiam a Steupii coniectura, quam ut comprobem animum inducere non possum. Neque enim quod de *Orci* uocis scriptura secundum codicis fidem satis ambiguam statuere licet, idem ualere de *uetat* uocabulo arbitror, ut in *putat* nullo negotio mutari possit. Deinde imperfecta esset sententia neque satis dilucida, si cum Steupio adspirationem addendam censuisse Cornutum legeremus, quia utram adspirationem commendauerit ille, *Horcum* an *Orchum*, ex illa lectione minime appareret. Neque uero abhorret adspiratio omissa a Cornuti aetatis studiis atque scribendi consuetudine. Namque *Orchum* ueteres[4]) scripsisse testatur Seruius ad Aen. VI 4: '. . . contra *thus* et *orchus* ueteres dicebant et *lurcho*, id est uorax, quibus sequens aetas detraxit aspirationem'. Idem similiter ad georg. III 223:[5]) '. . . tria enim tantum habebant (sc. maiores) nomina, in quibus *c* litteram sequeretur aspiratio, *sepulchrum, Orchus, pulcher,* e quibus *pulcher* tantum hodie recipit aspirationem'. Qui fuerint ueteres siue maiores illi, recte docuit W. Brambach, Neugestaltung d. lat. Orthographie (Leipzig 1868) p. 288, qui ad Ciceronis tempora rettulit hanc scribendi rationem. Cicero autem ipse qualis fuerit tunc temporis loquendi usus narrat in oratore 48, 160: 'quin ego ipse cum scirem ita maiores locutos esse, ut nunquam nisi in uocali aspiratione uterentur, loquebar

---

[1]) Coniecturas uirorum doctorum protulerunt Ribbeck, prolegg. p. 139 et Hagen in adnot. ad schol. Bern. georg. I 277 p. 868.

[2]) Ribbeck l. s. p. 139.

[3]) Seruii editor III 1 p. 195 edit. Lips.

[4]) cf. Marius Victorinus GL VI 21, 20 K.: 'uideo uos saepe et *orco* et *Vulcano* h litteram relinquere, et credo uos antiquitatem sequi.'

[5]) Ad hunc uersum legitur adscriptum in schedis Bernensibus (p. 937 H.): 'III tantum nomina in quibus c litteram sequitur h, id est *sepulchrum, orchus, pulcher*, e quibus hodie *pulcher* tantum recepit.'

sic, ut *pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem* dicerem; aliquando, idque sero, conuicio aurium cum extorta mihi ueritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reseruaui.' Vnde apparet consonantibus adspirasse Ciceronis aequales, quae consuetudo primis imperatorum temporibus elanguit; cf. Sommer, lat. Laut- und Formenlehre p. 286. Ergo uides secundum temporis sui rationem, parcissimum adspirationis usum comprobantem, egisse Cornutum, cum 'uetaret aspirationem addendam.' Qui quid senserit de *h* littera ante Y adspirationis causa scribenda [1]) Cassiodorii demonstrant excerpta GL VII p. 153, 14 K.

Haec de Cornuto. Superest quaestio, quid scripserit Probus a Seruio aucto l. s. commemoratus. Vbi plurimum refert, utrum intellegamus grammaticum, Berytium an recentiorem quendam Probum. Etenim ut praemittam quid hac de re statuendum esse mihi uideatur: ad Berytium pertinere puto adspirationem, quae adicitur litterae *o*, ut in *Horco*, ad alterum quendam grammaticum, de cuius nomine nil constat, referendam esse uocis scripturam, qua *c* adspiratur, ut in *Orcho*. Quare si comprobas Thilonis sententiam, qui scripsit *Orchus* (uide supra p. 38 adn. 3), alienum esse locum a Probo Berytio concedas necesse erit hac de causa: ex Suetonii capite de grammaticis 24 p. 118 seq. R. et ex Gellii noctium libro IX cap. 9, 12 scimus Berytium sermonis antiqui fuisse amantissimum, quippe qui ueteres libellos contraxerit emendandos, distinguendos, adnotandos. Veteres autem consonantibus adspirasse negant Cicero in oratore 48, 160 (uide p. 38) et Quintil. I 5, 20: 'diu deinde seruatum, ne consonantibus adspirarent' (sc. ueteres). Quem usum scribendi Probum seruasse, ut erat illorum aemulator atque laudator, uerisimillimum est. Porro nullo Seruii in Vergilium commentariorum loco haec Berytii, ut puto, forma *Horci* occurrit, cum saepius exstiterit altera uocabuli scriptura *Orchus* (uide p. 38). Quibus locis ne minima quidem uestigia ad Probum Berytium spectant. Neque tamen prorsus ignotam fuisse Vergilii commentatori *o* litteram aeque adspiratam uidemus ex commentario, quem scripsit Seruius in artem Donati IV p. 444, 21 K. '. . . adspiratione *horcus* pro *orcus*: sic enim dicebant antiqui'. Contra *Orchus*, si re uera Probo cuidam attribuendum esse putabatur, haud scio an eundem intellexerit scholiasta grammaticum, ad quem pertinet haec uocis

[1]) Vetabat Cornutus litterae Y adspirationis causa *h* litteram admoueri.

scriptura in Catholicis, perperam Probo Berytio adscriptis, GL IV p. 10, 22. 14, 33. 22, 27. 38, 29 K.

Qua re cum Probi Berytii auctoritas apud Seruium auctum ad georg. I 277 agnoscenda mihi uideatur, cum Ribbeckio l. s. ita scribo: 'Probus *Horcus* legit, Cornutus uetat aspirationem addendam.' Quo ex rerum ordine de aetate auctorum nihil licere conicere contra Steupium p. 67 Kuebler recte iam monuit l. s. p. 12; etenim post Cornutum Vergilii carmina tractàsse Probum cetera fragmenta satis demonstrant; nisi forte alii cuidam Berytii de rebus grammaticis uel orthographicis libello hanc doctrinam mauis tribuere, qui liber ante commentarios Vergilianos potuit emitti.

Quod attinet ad Vergilii ipsius scripturam in uersu georg. I 277, uereor ne recte non iudicauerit Ribbeck, prolegg. p. 139, qui, sicuti in editione Vergilii posuit, *Horcus* poetam arbitratur scripsisse secutus codicem Vergilii Palatinum P. Nam adspirationis notam in Seruii aucti codice L non ab initio hoc loco exstitisse, sed a Petro Daniele scholiorum editore additam esse indicat Thilo[1]) in editione ad l. s. s.: 'Celsus, ut iuris iurandi deum, pallidum dictum, quia iurantes trepidatione pallescunt: nam apud *ʰorcum* defunctae animae iurare dicuntur' e. q. s. Qua re Celsum *Horcus* probasse tanquam ipsius poetae scripturam minime coniecerim. Adspirationem denique in libris uetustis omissam saepius additam fuisse a lectoribus intellegitur ex Gellio II 3, 6. Qui in 'libro Aeneidos secundo mirandae uetustatis', qui ipsius poetae fuisse putabatur quemque nouerat per Fidum Optatum, 'multi nominis Romae grammaticum', ad uersum 470 '. . . telis et luce coruscus *aëna*' additam supra sese uidisse *h* litteram et *ahena* factum dicit. Vnde apparet non errasse Ribbeckium qui uaria *h* litterae in exemplaribus grammaticorum supra additae interpretatione factum esse iudicauerit, ut grammatici disceptarent de *Horcus* et *Orchus* scriptura.

Iam pergamus ad alterum quendam grammaticum, qui Cornuti sententias refutauerit. Atque proximus est A e m i l i u s A s p e r, qui aliquanto post Cornuti aetatem uixisse putandus est.[2])

---

[1]) cf. Steup l. s. p. 85.

[2]) cf. Ribbeck, prolegg. p. 128. Laemmerhirt, Comment. philol. Ienenses IV (1890) p. 401 seq.: 'Asprum igitur sub finem secundi et initio tertii saeculi uixisse credimus. Contra dixit G. Goetz, Bursiani annal. uol. LXVIII (1891) p. 146; uide Fr. Marx, Lucilii prolegg. (Lips. 1904) p. LXXIV. Alteri p. Chr. n.

Cuius sententiae innotuerunt ex interpretis Veronensis adnotationibus editis post H. Keilium[1]) et A. Herrmannum[2]) in Seruii uolumine III 2 p. 393 seqq. Atque primum quidem Asper Vergilium defendit contra Cornutum, qui 'indecore infelicem' Vlixem nominari ab Aenea hoste in u. Aen. III 691 'Achaemenides, comes infelicis Vlixi' affirmauerat (uide infra p. 80). Apparet autem ex scholiastae uerbis, et Cornutum et Asprum 'infelicis' uocem ita explicasse, ut cogitarent de Vlixe miseriis atque laboribus uexato; alii enim 'infelicem' intellexerant Vlixem tanquam malorum atque prauae artis auctorem testibus Seruio et Seruio aucto ad Aen. III 613 'INFELICIS VLIXI quoniam apud hostes loquitur (sc. Achaemenides), quaerit fauorem eius uituperatione, quem scit odio esse Troianis'. Simili modo Aen. III 246 harpyiam futuram fortunam Aeneae et sociorum diram denuntiantem 'infelicem uatem' nominat poeta, nuntiam minime calamitate afflictam significans. Priorem autem atque falsam interpretationem aeque ac Cornutus amplexus Asper 'pa[*the*]tice (sic Angelo Mai: *poetice* Keil, Herrmann, Hagen) et magnifice, quoniam eadem erroribus et periculis patiebatur Aeneas' poetam dixisse affirmat; cf. schol. Ver. ad l. s. Deinde propter haec scholiastae uerba Aspro erunt tribuenda, quae leguntur apud Seruium auctum ad Aen. III 691 'nam Aeneas incongrue[3]) infelicem Vlixen dicit; nisi forte quasi pius etiam hostis miseretur, cum similes errores et ipse patiatur'. Vnde sequitur ut ad Cornutum referamus uerba 'nam — dicit'.

Quaerenti autem num in altera quae extat inter Cornutum et Asprum dissensione praeferenda sit Aspri sententia, quae pertinet ad Aen. IV 178 seqq.

'illam (sc. Famam) Terra parens, ira inritata deorum
extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
progenuit'

nil prorsus certi habeo quod respondeam. Attamen, quamuis

---

saeculo exeunti Asprum adscripsit, qui nuperrime hac de re egit, P. Wessner, Aemilius Asper. Ein Beitrag zur römischen Literaturgeschichte (Progr. Halis 1905) p. 6 seqq. 43.

[1]) H. Keil, M. Valerii Probi in Virgilii Bucolica et Georgica commentarius. accedunt scholiorum Veronensium (p. 71—108) et Aspri quaestionum Vergilianarum fragmenta (Halis 1848).

[2]) A. Herrmann, die Veroneser Vergilscholien (Progr. Donaueschingen I 1868/9. II 1869/70).

[3]) cf. Gellius II 6, 2: 'nec tantae atrocitati congruere'; uide infra p. 44.

mutilata afferantur scholiastae Veronensis uerba[1]), si quid coniectura assequi licet, contra Ribbeckium, prolegg. p. 126, qui uerbis distinguendis[2]) operam dedisse hoc loco Cornutum putat, equidem hoc modo explicauerim rationem, quae intercedit inter Cornutum et aduersarium: apparet ex interpretis Veronensis his uerbis 'in deos saeuire Famam creauit (sc. Terra parens), per quam . . . haec nobis innotescerent', de Terrae contra deos ira cogitasse Asprum. Quod attinet ad hanc iram, duplici modo intellexisse uerborum conexum antiquos interpretes demonstrant cum Seruii uerba ad l. s.: 'IRA INRITATA DEORVM amphibolon est, utrum sua ira propter extinctos gigantas an "ira deorum inritata", quae extinxerat gigantas', tum quae addita sunt in Danielinis quae dicuntur scholiis 'uel ideo "ira deorum", quod in eam fulmina et grandines de caelo cadunt.' Iam uidemus dubitasse commentatores utrum subiectiuam, ut ita dicam, an obiectiuam significationem praestiterit 'deorum' uox. Etenim ira atque odio in deos incensam Terram progenuisse Famam dixerit quispiam, aut ita aliquis explicauerit hunc locum, ut iram deorum, quippe quae gigantibus, Terrae filiis, perniciei fuerit, causam nominet saeuitiae, uel quod idem est, aut ad deos aut ad Terram referri potuit ira. Quod iure statutum esse a me ex diuersa uerborum apud Seruium collocatione 'ira inritata deorum', ubi obiectiue ponitur 'deorum' uox, et 'ira deorum inritata', ubi subiectiue ponitur, cognoscitur. Quapropter illud 'amphibolon', quoniam ceteris in rebus consensus est inter Veronensem interpretem et Seruium, potius referendum esse censeo ad hanc Cornuti et Aspri dissensionem quam ad distinctionem uerborum, qualem nescio quis commendauerit coniungens uerba 'Terra parens, ira inritata, deorum extremam progenuit Famam'. Cuius distinctionis uestigia desiderantur apud scholiastas.

Nunc ad Velium Longum et Vrbanum transeo. Exposuit autem ille ad Vergilii uersus Aeneidos V 488 seq., ubi

---

[1]) Interpres Veronensis ad l. s. p. 431, 15 H.: 'ILLAM TERRA PARENS IRA INRITATA Cornutus: . . . . . . (quid) . . . . e posset. Asp.: an[imo] inritato in Deos saeuire Famam creauit, per quam quia introducuntur inuicem certantes et adulter[asse] Deos [inter se] et belligerasse, haec nobis innotescerent' e. q. s.

[2]) Hoc praeter emendandi atque adnotandi officium grammaticis adscribit tertium Sueton. p. 118 R.

'indecenter sacram matri suae auem[1] sagittis figendam' suspendisse Aeneam adnotauerat Cornutus,[2] sine uituperatione hoc poetam sumpsisse ex Homeri carmine neque ipsam debere offendere columbam, quia nulla auis non sit sacra. Quam Vergilii defensionem respexisse Vrbanum haud iniuria profitemur, quippe qui 'matrem citius potuisse placari' addiderit. Quod satis non intellegi potest nisi antea alia genera alitum aliis deis sacrata esse statutum sit. Vnde apparet quam uere Thilo in Seruii uoluminis I praef. p. XVI adn. 2 Velium Longum antiquiorem fuisse Vrbano dixerit.

Hi fere sunt qui Cornuti sententias impugnauerint. Iam si id agimus ut imaginem doctrinae illius ex commentariorum reliquiis efficiamus, functum esse Cornutum omnibus fere interpretis officiis cognoscimus. Ac primum quidem secundum Alexandrinorum grammaticorum consuetudinem quaestionibus soluendis[3]) operam illum dedisse supra uidimus (p. 31) ex Seruii uerbis ad Aen. I 488 '. . . Cornutus tamen dicit uersu isto . . . hoc esse soluendum.' Deinde uersatus est in grammaticorum notissimis officiis emendandi et explicandi, cum distinguendi exemplum propter fragmentorum, sicuti arbitror, paucitatem atque lacunas nullum inueniatur. Criticae autem artis, quam parum feliciter exercuisse uidetur Cornutus, exempla tractauimus p. 34 seq. (Seruius auctus ad georg. I 277. Aen. I 45. I 150. IX 346). Ac uereor ut felicior fuerit ubi de singulis uocibus uel epithetis iudicauit. (Gellius II 6 ad ecl. VI 75 seqq. georg. III 4 seq. Aen. X 314. Schol. Ver. Aen. III 691. V 488. Seruius auctus ad Aen. III 691). Quanquam hi loci commentatorem satis diligentem neque indoctum criticum produnt. Vituperauit autem poetam Cornutus propter uerba incuriose et abiecte (= per tapi-

---

[1]) Columbam auem Veneris sacram Cornutus ipse significat in theologiae compendio c. 24 p. 46, 9 L.

[2]) Interpres Veronensis ad l. s. s. (uide infra p. 81): 'Long.: adnotat Cornutus, quod indecenter sacram matri suae auem sagittis figendam constituerit. Sed uidelicet Homerum secutus est: sed et eodem modo quamcunque aliam auem expositam queri (*quaeri* cod: *queri* Angelo Mai: *quacunque alia aue exposita quaeri* Georgii) potuit, quia singula genera alitum Diis quibuscunque sacrata sunt' e. q. s. — cf. praeterea Seru. ad Aen. V 517: '. . . sane sciendum hunc totum locum ab Homero esse sumptum: unde inanis est uituperatio Aeneae, quod suspenderat auem maternam. nam et res est translata simpliciter et quamcunque suspendisset auem, in hanc incideret uituperationem: nulla enim auis caret consecratione, quia singulae aues numinibus sunt consecratae, quanquam Vrbanus dicat, matrem citius potuisse placari'.

[3]) cf. *ἀπορίας, ἀπορήματα, ζητήσεις, ζητήματα, προβλήματα — λύειν.*

nosin) posita; reprehendit praeterea incongrua, non conuenientia, parum idonea (ἄκαιρα, ἄτοπα, μὴ καλῶς κείμενα ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ), indecora (ἀπρεπῆ). Idem cur Seruio aucto teste (uide p. 82) improbauerit ut sordidum (ἄγροικον) uersum Aen. X 547 'dixerat ille aliquid magnum . . .' Georgii exposuit ad l. s., cui hoc unum addam, exstitisse P. Lauinii libellum, quo nil nisi uerba sordida tractabantur; quo de conferatur Gellius XX 11, 1.

Reprehendit praeterea Cornutus poetica quaedam figmenta, quae 'penitus a ueritate discedere' [1]) putabat. Qua de re praeter Macrobii Saturn. V 19, 1 seqq. (infra p. 81) adhibuerunt uiri docti Seruium ad Aen. III 46, ubi uituperatur poeta de ferrea telorum segete, quae texerat Polydorum a Thracum rege obtruncatum. Nam plura hic enumerantur figmenta, quae in reprehensionem inciderant quaeque ab eodem grammatico (sc. a Cornuto), qui Vergilium castigat apud Macrobium l. s., notata fuisse sententiarum conexus atque ordo obiectorum enarratorum non interruptus satis demonstrant: 'traxit autem hoc de historia Romana (sc. Vergilius) . . . uituperabile enim est, poetam aliquid fingere, quod penitus a ueritate discedat. denique obicitur Vergilio

I. de mutatione nauium in nymphas ⟨Aen. IX 81⟩;

II. et quod dicit per aureum ramum ad inferos esse descensum ⟨Aen. VI 141⟩;

III. tertium, cur Iris Didoni comam secuerit ⟨Aen. IV 698⟩. sed hoc purgatur Euripidis exemplo, qui de Alcesti hoc dixit, cum subiret fatum mariti.' Quae uituperationes omnes ad unum redeunt criticum; neque dubitari certe potest qui fuerit illarum auctor, cum Macrobius l. s. Cornutum nominauerit de aureo ramo (no. II) et de crine mortuorum abscisso (no. III). Neque uero grauiter obiurgasse talia Cornutus iudicandus est, sed notauit 'quia exemplo carebant' figmenta illa neque unde hausisset Vergilius inuenire ipse potuerat. Priorem enim hanc causam nomine critici quem protulit omisso Seruius exposuit ad Aen. IX 81 = IX 82 Ribb. (uide p. 81) de nauibus mutatis (no. I), quocum comparari possunt uerba modo exscripta: 'hoc purgatur Euripidis exemplo.' Alterum autem confirmatur ibidem hisce: 'traxit hoc de historia Romana', quibus uerbis respondit doctus quidam grammaticus Cornuto quaerenti: 'unde haec historia?'

---

[1]) Ex Seruio aucto ad Aen. XI 554 ἀπίθανα πλάσματα Probus nominasse talia figmenta intellegitur.

Denique quo modo uersatus sit Cornutus in singulis uersibus explicandis atque sententia poetae diligentius aperienda indiciis proditur hisce: Seruii ad Aen. I 488. IX 672. Veronensis interpretis ad ecl. III 40. VI 9. Aen. IV 178. Quo pertinet, quod supra iam monuimus (p. 35), operam dedisse interpretationi illum ita, ut argumenta repeteret ex ipsius Vergilii carminibus, hac quoque in re secutus Alexandrinorum exemplum, qui scriptorum opera ex se ipsis explicanda atque illustranda curabant. Itaque quod legitur apud Seruium ad georg. III 16: ‘quod autem dicit “in medio”, eius templum fore significat: nam ei semper sacratus numini locus est, cuius simulacrum in medio collocatur . . .’, Cornuti sententiam arbitror impugnari quam tradit interpres Veronensis ad ecl. III 40 (p. 79): ‘IN MEDIO Cornutus sic aestimat dic[tum esse, ut] “in medio mihi Caesar erit” ⟨georg. III 16⟩ pro “eminebit”. Neque uero haec sententia Cornuti probanda uidetur, neque laudari potest quod teste schol. Veron. ad ecl. VI 9 ‘non iniussa cano’ disputauit de musis (p. 79) in errorem inductus uersibus eiusdem carminis 2 (‘nostra Thalia’), 8 (‘agrestis Musa’), 13 (‘Pierides’). Vbi uerum iam intellexit scholiasta Veronensis, qui de Cynthio uel Augusto, quorum monitu Bucolica scripsisset Vergilius, satis apte cogitauit.[1])

Postremo duae occurrunt Placidi glossae s. u. ‘ingluuies’ (cf. p. 80) et. s. u. ‘magmentum’ (p. 80), quas Cornuti curis Vergilianis adscribendas esse statuit Iahn, prolegg. p. XVIII. Namque et de ingluuie ad georg. III 431 ‘piscibus atram inprobus ingluuiem ranisque loquacibus explet’ et de mactandi uocabulo ad Aen. IV 57 ‘mactant lectas de more bidentis’ disputationes exstitisse grammaticorum satis elucet e Seruii et Seruii aucti adnotationibus. Neque abhorrere a Cornuti doctrina explicationem uocum consimilium[2]) uidemus ex ‘uineis’ et ‘uiniis’ inter sese comparatis apud Cassiodorium GL VII p. 150, 18 K. Fortasse igitur ad Cornutum

---

[1]) Interpres Veronensis ad l. s. s.: ‘NON INIVSSA CANO. Cornutus putat hoc ad Musas pertinere, sed illud magis accipiendum: “Cynthius aurem uellit et admon[uit” <ecl. VI 3/4>, scilicet quia iussu Au]gusti admonitus sit, ut Bucolica scriberet.’ Apud Seruium ad ecl. VI 9 ‘NON INIVSSA CANO *uel ab Apolline*, uel ab Augusto . . .’ uelim legas cum Stephano *uel a Pollione*; quae lectio eo commendatur quod tradit idem Seruius ad ecl. VIII 11: ‘supra <ecl. VI 9> enim dixerat “non iniussa cano”’; quod ad eundem hominem pertinere arbitrabatur scholiasta, quem poeta alloquitur ecl. VIII 11 uerbis: ‘accipe iussis carmina coepta tuis’, i. e. *Pollionem*, cuius nomen latere in codicis Bernensis B scriptura *uel ab apollione* nemo non intellegit.

[2]) Ribbeck, prolegg. p. 128 de ‘illuuie’ et ‘ingluuie’ cogitauit.

spectant Seruii aucti ad Aen. IV 57 uerba, quibus hostias, cum ictae essent et aliquid ex illis in aram datum esset, 'mactatas' nominatas esse explicauit. Nam cum eis, quae de magmento exposuit ille secundum Placidi glossam, optime conueniunt; cf. 'Cornutus quidquid mactatur, id est quidquid dis datur.' Qua de re licet nunc eo certius iudicare, quod nihil iam dubitandum uidetur de glossae scriptura *quidquid dis datur*, quam proposuit Iahn, prolegg. p. XIX in adnotatione, postea comprobauit Buecheler in mus. Rhen. uol. XXXIV (1879) p. 348; conf. Varr. rer. rustic. I 29, 3 'sic quoque exta *deis* cum *dabant*[1] . . .' Pro certo igitur ponere possumus 'magmenti' uocem Cornutum alienam putauisse a 'magis' siue 'augere', quae explicatio saepius occurrit; cf. Sueton. p. 275 R.: 'magis auctum'. Varr. de l. l. V 112: 'a magis'. Seru. ad Aen. IV 57: 'maius augmentum'. Festus Pauli p. 126, 4 M.: 'maius augmentum' (sic secundum Scaligerum).

Iam si quaeritur num in Vergilii scholiis extent adhuc, quae nomine auctoris omisso ad Cornutum spectent, uereor ut unquam ita rem expedire liceat, ut nulla remaneat dubitatio. Neque inueni cum Seruii et Seruii aucti percensuerim adnotationes illas, quas adscripserint illi de ueterum theologia et de philosophiae rebus, quibus Cornutum operam dedisse scimus, quod certo ad eius auctoritatem redeat. Sunt sane quaedam, quae eandem redolent doctrinam, ueluti quae traduntur de Cerere a Cornuto p. 56, 13 L. coll. Seru. Aen. IV 58 aut de Iunone, quae aër esse dicitur a Cornuto p. 3, 15 L. coll. Seruio aucto ad Aen. IV 167, sed Cornuti doctrinae haec deberi a scholiastis minime opinor ideo quod aliis locis prorsus discrepant a Cornuti iudicio, quae addiderunt hi interpretes. Ex his enim efficitur indoles longe alia, qua de conferatur exempli causa Seruii de Libero atque Cerere adnotatio ad georg. I 5 cum eis quae protulit Cornutus de his numinibus p. 57, 16 seqq. et 52, 4 seqq. L. Aptius igitur referuntur si quae occurrunt similitudines ad eosdem auctores, ex quibus hausta sunt argumenta illa discrepantia. Neque ulla probabilitatis specie ad Cornutum reuocantur quae aperte significauerunt ex Stoicorum doctrina deprompta scholiastae, ueluti quae proferuntur in Seruii uolumine de deis hominum res curantibus (ecl. VIII 35.

---

[1]) cf. praeterea Arnob. VII 31. VII 25. 26. 27. Liu. XXVI 23, 8. Macrob. Saturn. III 2, 3. Martial. epigr. XI 57, 4. Proprie dicebatur *exta reddere*; cf. Seru. ad georg. II 194. Aen. VIII 269. Henzen, acta fratr. arual. p. 23; cf. titulum ibid. p. 92 § 3, qui explicatur p. 94; deinde cf. titulum anni 218 ibid. p. 21.

Aen. I 11. 227. IV 379), de fortuna non euitanda uel mutanda (Aen. I 257. II 689. VIII 334. X 467), de uirtute (Aen. I 604), de immortalitate (Aen. III 68), de eis quae repugnant cum natura (Aen. III 90), de astronomia (georg. I 249. Aen. X 272), de uno deo qui uariis nominibus appellatur (georg. I 5. Aen. IV 638). Quid? quod nominum deorum et dearum etymologiae, quae imprimis ad comparationem adducunt legentium animos, minime consentiunt cum eis quas protulit Cornutus in suo libello? Cuius rei exempla affero Seruium auctum ad Aen. IV 58 coll. Cornuto p. 58, 2 L. de nomine Lyaei, Seruium ad Aen. IV 242 coll. Cornuto p. 20, 22 L. de Hermae nomine. Qua de causa nolim referas cum Georgio ad Aen. I 42 'ipsa (sc. Minerua) Iouis rapidum iaculata e nubibus ignem . . .' quaestionem Seruio aucto teste institutam ita: '. . . quaeritur, cur Minerua Iouis fulmen miserit' ad Cornutum, qui hoc quaerere non potuit ideo quod *αἰγίδα* Iouis et Mineruae eandem esse putauit; cf. p. 9, 5 et 36, 21 L. Admodum dubia autem coniectura Georgii ad sententiam suam comprobandam protulit Aspri,[1]) quippe qui, sicuti alias, ita hoc quoque loco contra Cornutum opinionem suam defenderit, atque Euripidis[2]) exemplum, cuius auctoritate aliis locis Vergilii defensores contra criticos utebantur. Vnde uidemus quanta in dubitatione uersentur, quae ad Cornutum referenda esse uiris doctis uidebantur his locis, ubi Cornuti nomen deest. Ergo nescio an eadem fortuna utantur quae simillimis de causis tribuerit illius auctoritati aliquis cum Georgio, ut paucis defungar exemplis, ad Aen. IV 548 propter Vrbanum[3]) tanquam defensorem poetae laudatum, ad Aen. VII 341 propter Aspri,[4]) ad Aen. IX 637 propter Longi[5]) memoriam.

E. De figuris sententiarum.

Quoniam actum est de Cornuti curis Vergilianis, iam hinc de libris de figuris sententiarum compositis disseramus.

---

[1]) Ex Aspri commentario defensionem poetae desumptam esse coniecit Georgii l. s. s. cum Ribbeckio, prolegg. p. 132.

[2]) Euripidis Troad. uu. 77 seqq. hac de quaestione afferuntur a Macrobio Saturn. V 22, 8; cf. Macrob. Saturn. V 19, 2 (supra p. 44), ubi Euripides contra Cornutum laudatur.

[3]) Seru. ad Aen. IV 548.

[4]) Interpres Veronensis ad Aen. VII 341 p. 436, 23 H.

[5]) Interpres Veronensis ad Aen. IV 158 p. 431, 10 H.

Qua in re iterum reicimur ad Vergilii carmina. Nam offendit in hoc opusculo Cornutus teste Gellio IX 10, 5 (uide infra p. 82) poeticam Veneris et Vulcani concubitus descriptionem,[1]) quae legitur in Aeneidos uersibus VIII 404 seqq. Idem Gellius duos minimum libros scripsisse Cornutum de figuris sententiarum testatur. Neque uero certins quidquam ex hoc Gellii loco de indole illius opusculi concludere licet. Paucissima autem quae remanserint uestigia ut agnoscamus, ad alios figurarum disciplinae scriptores refugiamus necesse erit. Neque enim dubitari debet quin Cornutus, cum talem institueret disputationem, imprimis rem tractauerit grauissimam, de qua saepissime disserebant auctores haud mediocriter inter se dissentientes, 'et quae uis nominis figurae et quot genera et quae quam multaeque essent species' (Quintil. instit. or. IX 1, 10). Ac praecipue Quintilianus ipse adeundus erit, qui figurarum genera copiosius tractauit in institutionis oratoriae libri IX capp. 1—3. Etenim nouisse Fabium, quippe qui plurimorum auctorum sententias inuestigauerit atque congesserit, Cornuti de figuris sententiarum doctrinam persuasum habemus, quod infra exemplis illustrabimus. Deinde alicuius momenti est exilis Iulii Rufiniani quem dicunt de schematis dianoeas tractatus, quia hic occurrit Cornuti nomen RL p. 60, 11 H. Apud Quintilianum Cornutus nusquam laudatur. Attamen in illius de figuris et sententiarum et uerborum disputatione quaedam Cornuteae doctrinae latere coniecit C. a Morawski, quaest. Quintilian. (diss. Berol. 1874) p. 60 seq. 68. Qui ita iudicauit de hoc Fabii auctore p. 68: 'auctor quidem Fabii ille ignotus propriam uiam in tractandis figuris seruasse uidetur et, si non fuit Graecus, ex Graecis eum hausisse fontibus figurarum nomina, a uulgari usu remota, demonstrant. Fortasse fuit ille Annaeus Cornutus' e. q. s. Proposuit enim ille uir doctus quasdam figuras et sententiarum (p. 63 seqq.) et orationis (p. 66 seq.), quas unde petiuerit Quintilianus non liquere dicit. Atque suo iure graeci rhetoris redolere doctrinam has figuras asserit. Equidem uero ex Cornuti libellis eas manauisse minime coniecerim, cum quaedam ex illis ad Caecilium Calactinum potius auctorem apte referantur. Libros Caecilii proprie

---

[1]) cf. Lobeck, Acta societ. Graec. uol. II (1840) p. 309; De περιφράσεως figura cogitauit Ribbeck, prolegg. p. 126. [Charisius GL I p. 274, 27 K. Diomedes GL I p. 460, 7. Mar. Plot. (M. Claud.) Sacerdos GL VI p. 467, 25. Quintil. IX 1, 3. 3, 98.].

figurarum disciplinae dedicatos[1]) sese nouisse ipse profitetur Quintilianus IX 3, 89: 'haec omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicauerunt, sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius aliique non pauci' e. q. s. Atque in ea disputationis parte, quae pertinet ad figuras orationis (IX 3), aliquotiens expressis uerbis Caeciliana commemorat Fabius; uide IX 3, 38. 46. 91. 98; in priore autem parte, quae est de figuris sententiarum (IX 2), ne uno quidem loco hic rhetor laudatur. Itaque Morawski l. s. p. 56 excepto uno loco (uide infra) nusquam hic respexisse Fabium ad Caecilii doctrinam coniecit. Contra L. Martens, de libello *περὶ ὕψους* (diss. Bonn. 1877) p. 17 adn. etiam in sententiarum figuris tractandis uestigia premere Quintilianum Caecilii[2]) obiter monuit, neque iam dubium erit ex eis quae proponam, quin saepius illius doctrinam secutus sit Fabius.

Atque primum quidem assentior Morawskio opinanti[3]) Quintilianum quae profert IX 2, 62 de Demosthenis iureiurando ex Caecilii libello *περὶ σχημάτων* hausisse.[4]) Qua de re praeter Tiberii locum *περὶ ὅρκου* (Rh. Gr. III p. 69, 5 Sp.) comparari potest disputatio Longini de sublim. c. 16, 2 (p. 38, 8 Iahn-Vahlen³ = Rh. Gr. I 2 p. 136, 6 seqq. Sp.-H.). Consensus autem Tiberii et Longini quin ex communi fonte scil. Caecilii doctrina commode exoriatur[5]) nemini est dubium, qui quae ratio intercedat inter Calactinum rhetorem et auctorem[6]) libelli *περὶ ὕψους* cognouit.

Quodsi quaerimus, quoniam Caecilii uestigia in Quintiliani libri IX cap. II occurrere putamus, qua ratione ut satis ea exploremus fieri possit, id erit animaduertendum, nominasse Fabium in capite illius libri III eius doctrinam de his figuris,

---

[1]) cf. Th. Burckhardt, Caecili rhetoris fragmenta (diss. Basil. 1863) p. 17—20; id., frgg. 29—42.

[2]) Idem statuit B. Coblentz, de libelli *περὶ ὕψους* auctore (diss. Argentorat. 1888) p. 20.

[3]) Morawski l. s. p. 46. 56.

[4]) A Stoicis rhetores sumpsisse *τὸ ὁρκικὸν σχῆμα* coniecit Fr. Striller, de Stoicorum studiis rhetoricis, Vratislauiae 1886 (= Breslauer philolog. Abhandlgn. I 2) p. 56.

[5]) cf. Morawski l. s. p. 44 seqq.

[6]) De auctore huius libelli repugnant inter se uirorum doctorum sententiae: cf. Fr. Marx, Wien. Stud. XX (1898) p. 169—204. G. Kaibel, Hermes XXXIV (1899) p. 107—132. B. Keil, Verhandlgn. d. XLVII. Philol.-Vers. (Leipzig 1904) p. 54 seq.

quarum attulit nomina Graeca. Ac re uera de eis figuris sententiarum, quas Caecilio uindicandas aestimauimus, etiamsi illius nomen omissum est a Quintiliano, hanc ualere obseruationem iam apparebit. Sic haud ambigue illius rhetoris auctoritas seruatur a Fabio in ὑποτυπώσεως descriptione, quae legitur IX 2, 40 seqq. Caeciliana certe sunt quae hic traduntur, licet ceteri rhetores nomine paululum mutato διατύπωσιν appellent hanc figuram. Aptissime enim inter sese cohaerent Quintiliani et Tiberii (p. 79, 15) hoc de genere disputationes, quo accedit schol. Demosth. ad Mid. or. p. 573 Dind. Quae uerba non adscripsi, quia accuratius et copiosius hanc rem explicauerunt uiri docti.[1]) Firmant uero praeterea hanc opinionem ea quae protulit Longinus de sublim. c. 25 (p. 48, 11 I.-V. = p. 146, 22 Sp.-H.): ὅταν γε μὴν τὰ παρεληλυθότα τοῖς χρόνοις εἰσάγῃς ὡς γινόμενα καὶ παρόντα, οὐ διήγησιν ἔτι τὸν λόγον, ἀλλ' ἐναγώνιον πρᾶγμα ποιήσεις. Quae ita exprimit Quintilianus (IX 2, 43): 'habet haec figura (sc. translatio temporum) manifestius aliquid: n o n e n i m n a r r a r i r e s, s e d a g i u i d e t u r.' Atque paulo ante ipse Fabius ita disserit § 40: 'ab aliis ὑποτύπωσις dicitur proposita quaedam forma rerum ita expressa uerbis, u t c e r n i p o t i u s u i d e a n t u r q u a m a u d i r i.' Quod item ex Caecilii doctrina esse sumptum uidetur, cum apud Longinum l. s. (p. 49, 4 I.-V. = p. 147, 17 Sp.-H.) legatur: ὁρᾷς, ὦ ἑταῖρε, ὡς παραλαβών σου τὴν ψυχὴν διὰ τῶν τόπων ἄγει τὴν ἀκοὴν ὄψιν ποιῶν. Quo ex exemplo non iam difficile est designare auctorem, quem Fabius IX 2 44 in animo habuerit, cum agit de τοπογραφίας figura. Hic quoque Calactinum rhetorem sequitur. Etenim quae leguntur apud Longinum p. 49, 1 I.-V. = p. 147, 13 Sp.-H. de hac figura, talem nobis produnt scriptorem, qui aeque atque Quintilianus una cum temporum translatione tractauerit τοπογραφίαν. Quanquam hoc nomen deest apud Longinum. Locorum autem 'dilucidam et significantem descriptionem' (Quintil. § 44) praebet exemplum Herodoti II 29, quo illustrauit hanc figuram Longinus l. s. Itaque totius illius de ὑποτυπώσεως figura disputationis praecipuum auctorem fuisse rhetorem Calactinum persuasum habeo. Quae opinio, nisi egregie fallor, altero argumento fulciri potest. Etenim nominatur in hac quaestionis parte apud Quintilianum

---

[1]) cf. Martens l. s. p. 16/17 adn. Coblentz l. s. p. 19/20. I. Woehrer, de A. Cornelii Celsi rhetorica (dissertat. philol. Vindobon. VII [1903]) p. 119. cf. etiam Morawski l. s. p. 63 seq. cum adnot.; id., mus. Rhen. uol. XXXIV (1879) p. 374.

(§ 40) Cornelius Celsus; qui quin satis multa exempla doctrinae praebuerit Fabio dubitari non debet. Celsus autem Caecilii doctrinam nouisse atque in elaboranda de figuris disputatione respexisse[1]) existimandus est. Quo fit ut earum rerum, quae ad Caecilium esse referendae uideantur, quasdam ex ipsius Celsi institutionibus fluxisse cum uiris doctis[2]) statuamus, praesertim cum non satis appareat, num ipse adierit Fabius Calactini rhetoris libellum. Quocum bene consentiunt quae similiter de *ἀποσιωπήσεως* figura efficiuntur. Legimus enim Quintil. IX 2 54 reticentiae nomen Graecum atque una laudatur Celsi doctrina. Praeterea Caecilii uestigia agnoscuntur in fine huius paragraphi: 'cui simile est in prooemio pro Ctesiphonte Demosthenis.' Demosthenis exemplum bene quadrat ad illius doctrinam;[3]) augetur opinionis uis eo, quod re uera apud Tiberium, quem arte illius uestigia premere notum est, in figura *ἀποσιωπήσεως* describenda p. 62, 28 leguntur uerba Demosthenis de corona § 3 haec: *ἀλλ' ἐγὼ μέν, οὐ βούλομαι δὲ οὐδὲν δυσχερὲς εἰπεῖν ἀρχόμενος τοῦ λόγου · οὗτος δὲ ἐκ περιουσίας μου κατηγορεῖ;* de quibus haud dubie cogitat Fabius l. s. Deinde eodem pertinet quod, cum Tiberius p. 63, 1 alterum eiusdem figurae exemplum protulerit Demosthenem in Aristocr. § 213, idem laudauit, eundem sane secutus auctorem, Alexander Numenii filius de figuris p. 22, 10 Sp. Consensus enim Alexandri et Tiberii recte ita explicatur, ut ad communem fontem, scilicet Caecilii doctrinam, referantur, quae apud utrumque similia inueniuntur. Alexandri liber genuinus nobis non seruatus est. Attamen in integro hoc libello etiam prius illud exemplum Demosthenis de corona § 3 olim exstitisse[4]) res est certissima. Documento affero Aquilae Romani, qui Alexandri integram doctrinam excerpsit,[5]) explicationem huius figurae R L p. 24, 8 H., ubi 'Demosthenicum illud prooemium' occurrit ita: 'Non pari ego

---

[1] cf. Woehrer l. s. p. 156.

[2]) Martens l. s. p. 17 adn. Coblentz l. s. p. 20 seq. Woehrer l. s. p. 114 seqq. 156.

[3]) cf. Suid. s. u. *Καικίλιος*. Plut. uit. Demosth. cap. 3. Burckhardt l. s. p. 33 seq.; id., frg. 52.

[4]) Reticentiae hoc exemplum itidem inuenitur apud Herodianum de figuris p. 95, 12 Sp., qui pendet ab Alexandri doctrina; [u. Brzoska apud Wissowam uol. II p. 1457]. cf. praeterea Demetr. de eloc. § 253 p. 52, 28 R.

[5]) Iulius Rufinianus de figuris sent. et eloc. RL p. 38, 1 H.: 'Hactenus Aquila Romanus ex Alexandro Numenio: exinde ab eo praeteritas, aliis quidem proditas, subtexuimus.'

et aduersarius periculo ad iudicium uenimus, sed mihi quidem — nolo quicquam initio dicendi ominosius proloqui.' Ex his omnibus Caecilianae doctrinae uestigia quaedam subesse in Quintiliani figura *ἀποσιωπήσεως* statuendum erit.

Idem fortasse ualet de figura *ἀποστροφῆς* apud Quintilianum IX 2, 38. Distinguit Fabius duo illius figurae genera, alterum quod dicit 'auersum a iudice sermonem', alterum quod uocat 'auersionem, quae a proposita quaestione abducit audientem'. Ex his prius illud genus solum ad hanc disputationem pertinet, quia alterum Caecilianae doctrinae speciem non uidetur praebere. Atque triplex est usus illius *ἀποστροφῆς* secundum Quintilianum. Ita enim sermo auertitur a iudice, ut 1) aut aduersarios inuadamus 2) aut ad inuocationem aliquam 3) aut ad inuidiosam implorationem conuertamur.

Ad id quod Fabius primo loco commemorat Tiberii disputatio uidetur comparanda esse. Congruunt enim quae uterque scripsit ita ut, si Caecilium communem et Quintiliani et Tiberii fontem esse supra recte statuimus, hoc quoque loco de communi utriusque auctore cogitemus. Legimus enim:

Quintil. IX 2, 38:	Tiberius p. 61, 29 Sp.:
'Auersus quoque a iudice sermo, qui dicitur *ἀποστροφή*, mire mouet, siue aduersarios inuadimus . . .'	*Ἀποστροφὴ δέ ἐστιν ὅταν ἀπὸ τῶν δικαστῶν πρὸς τὸν ἀντίδικον ἀποστρέφῃ τὸν λόγον, οἷον . . .* *κινήσας γὰρ τῇ δόξῃ τῶν παραδειγμάτων τοὺς ἀκούοντας, τότε καὶ τὸν ἀντίδικον κέκληκε.*

Tiberium hoc ex Caecilii doctrina sumpsisse inde colligo, quod alio loco a Tiberio rhetorem Calactinum re uera de sermone a iudice auerso egisse edocemur. Scripsit hic enim p. 80, 18 seqq.: *Καὶ τὸ τῆς ἀλλοιώσεως σχῆμα εἰσάγει ὁ Καικίλιος, καί φησιν αὐτὴν γίνεσθαι κατ' ὄνομα καὶ πτώσεις καὶ ἀριθμοὺς καὶ πρόσωπα καὶ χρόνους . . . κατὰ δὲ τὰ πρόσωπα ἀλλοιώσεις,*[1]) *ὡς παρ' αὐτῷ* (sc. *Δημοσθένει*) *. . . τοῖς γὰρ δικασταῖς διαλεγόμενος μετατίθησιν ἑαυτὸν ἐπὶ τὸν ἀντίδικον . . . καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μετάγει ἐπὶ τοὺς δικαστὰς λέγων, οἷον . . .*

Inter hos quos exscripsi Tiberii locos hoc interest, quod priore loco *ἀποστροφῆς* figura in sententiarum figuris numeratur,

---

[1]) cf. Herodianus de figuris p. 88, 28 Sp.

cum posteriore loco, sicuti uidetur, sermo a iudice auersus figuris orationis adscribatur. Praeterea hoc moneo, secundo hoc loco nomen figurae Graecum a Tiberio, Caecilii sectatore, non esse additum. Atque mirum in modum eadem apud Quintilianum obseruare licet, quae casu facta esse minime opinor. Etenim Fabius ipse quoque IX 2, 38 ἀποστροφήν in figuris sententiae posuit. Deinde autem similiter atque Caecilius apud Tiberium p. 80, 18 in libri IX capite III figuras orationis enumerat, quae fiunt mutato in nominibus aut uerbis genere (§ 6), mutato numero (§ 8), casu (§ 10), tempore (§ 11): quod genus figurarum nominat grammaticum[1]) IX 3, 2. In hoc uero disputationis ordine figurae genus commemorat IX 3, 24, 'quod est ei figurae sententiarum, quae ἀποστροφή dicitur, simile, sed non sensum mutat, uerum formam eloquendi.' Vbi idem figurae genus intellexisse Fabium atque Calactiten apud Tiberium p. 80 nemo infitiabitur. Nomen autem ipsius figurae Graecum ne ipse quoque adposuit. Hac rerum similitudine commotus cum Morawskio l. s. p. 57 seq. Caecilii doctrinam agnosco apud Quintilianum IX 3, 24. Praeterea non dubito quin Fabii de ἀποστροφῆς figura disputatio IX 2, 38 ad eundem auctorem referenda sit, cum Tiberii nixus testimonio[2]) p. 61, 29 Sp., tum altero usus argumento, quo supra iam usus sum ad eruendam Caecilii doctrinam de figura ἀποσιωπήσεως.

Alexander enim in genuino libello praeter ἀποστροφῆς explicationes, quae hodie leguntur p. 23, 29 et 24, 7 Sp., etiam Tiberii explicationem protulisse uidetur, id quod colligo ex Aquilae Romani, qui Alexandrum exscripsit, disputatione. Qui quanquam singulas huius figurae interpretationes non satis distinuit, tamen in foeda rerum confusione integri auctoris sui libelli uestigia seruasse putandus est, cum scribit RL p. 25, 3 H.: 'Ἀποστροφή, auersio, necessaria plerumque figura, ubi quae ad alios dicta uolumus, ad alios dicere uidemur. Sic plerumque conuertimus orationem in reum ab iudice, cum illa tamen, quibus aduersarium allo-

[1]) Caecilius omnes has figuras ἀλλοιώσεως nomine comprehendit Tiberio teste p. 80, 18 seqq. cf. Striller l. s. p. 53.

[2]) Simillimam ἀποστροφῆς explicationem exhibet Phoebammon de figuris p. 49, 29 Sp.; cf. etiam p. 54, 8—13, quae uerba desunt in codice Parisino 2032. Hic figurarum scriptor alicuius fortasse momenti est, si illius tractatum quaedam Caeciliana continere propter affinitatem Alexandri suo iure affirmauit Morawski p. 55. cf. praeterea R. Weise, quaestiones Caecilianae (Berolini 1888) p. 11 adn. 1.

quimur, iudici allegentur. Acutissimum exemplum in Philippicis Demosthenis . . . Inuidiose[1]) et M. Tullius cum saepe alias, tum pro Roscio conuertit orationem ad Chrysogonum ab illo loco . . .' Quae cum ita sint nil iam obstare puto quominus Caecilium Quintiliani auctorem in *ἀποστροφῆς* figura explicanda esse dicamus. Nam illum re uera de hac figura disputasse satis apparuit. Addo postremo loco exemplum ex libro de sublimitate c. 16, 2 (p. 39, 9 I.-V. = p. 136, 16 Sp.-H.), ubi Demosthenis notissimum per interfectos in Marathone iusiurandum laudatur tanquam *ἀποστροφή* — (*δι' ἑνὸς τοῦ ὀμοτικοῦ σχήματος, ὅπερ ἐνθάδε ἀποστροφὴν ἐγὼ καλῶ*) —, id quod pertinet ad alterum quem supra (p. 52) statui secundum Fabii explicationem *ἀποστροφῆς* usum — ('ad inuocationem aliquam conuertimur').

Haec sunt quae maxima cum uerisimilitudine ad Caecilii doctrinam referri possunt. Respexit igitur Quintilianus in ea quoque parte disputationis, quae pertinet ad figuras sententiarum, ad Calactitae praecepta. Deinde earum figurarum, quas ad Cornutum pertinere Morawski coniecit, quasdam ad Caecilium spectare auctorem in propatulo est. Neque ullum inesse his figuris argumentum affirmare licet, quo nixi unam alteramue ad Cornutum reducamus. Contra ita sunt fere comparata haec exempla, ut haud incommode rhetori Calactino uindicemus hanc doctrinam. Exempli causa affero ea quae occurrunt apud Fabium IX 2, 31 de distinctione *προσωποποιίας* et *διαλόγων* nimis argute instituta, cum Caecilius minima quaeque discrimina propriis nominibus notauerit,[2]) uel ea quae dicit Quintilianus IX 2, 47 de *ἀντιφράσεως* et IX 2, 58 de *μιμήσεως* figura.

Restat haec Quintiliani disputatio, qua controuersiae figuratae explicantur (IX 2,65—101). Ad quam praecipue animum intendamus necesse est, cum eandem rem simili usus iudicio tractauerit Cornutus. Multus enim est Quintilianus in uituperandis orationibus figuratis quae, ut ipse dicit, apud magistros declamandi frequentissime pertractabantur atque proprie figurae uocabantur (IX 2, 65 . 67). Quo de genere figurarum quaestiones rhetoricas instituit I. Penndorf in Stud. Lipsiens. uol. XX (1902) p. 169 seqq. Bene autem meritus est hac de re Fabius, qui indolem harum figurarum plane perspexerat atque erudite iudicauit

---

[1]) cf. Quintil. IX 2, 38: '. . . ad inuidiosam inplorationem (conuertimur).'

[2]) cf. Burckhardt l. s. p. 18. Weise l. s. p. 11 seqq.

de earum usu atque pretio. Qua in re maximam in partem non alienis, sed suis argumentis nixus disputationem instituisse uidetur. Id enim iam eo comprobatur, quod causae plene figuratae, quippe quae artissime cohaereant cum suasoriarum arte atque declamandi studiis, non ita multo ante Quintiliani aetatem prouenisse, ipsius temporibus uiguisse putandae sunt; cf. IX 2, 65: 'huic uel confinis uel eadem est (sc. figura), qua nunc utimur plurimum': IX 2, 77: 'atqui praecipue prima, quibus praecipere coeperam, tempora hoc uitio laborarunt. dicebant enim libenter tales controuersias, quae difficultatis gratia placent, cum sint multo faciliores'. Qua de causa haud scio an Fabio scriptorum complura hac de re iudicia praesto non fuerint. Dein saepius expressis uerbis Quintilianus quae ipse de hoc figurarum genere expertus sit quaeque sibi uideantur uitanda aut quaerenda hac in parte disputationis profitetur. Neque tamen auctoris, cui debuerit quaedam Fabius, uestigia prorsus desunt. Etenim consentiunt Ps.-Rufinianus de schematis dianoeas RL p. 59 seqq. H. et Fabius de controuersiis figuratis atque de eis, quas protulit ille, figuris dianoeas, ita tamen, ut praeter Quintilianum, quem uerbotenus fere sequitur, alium quendam scriptorem adhibuisse illum eluceat: cuius uestigia apud Fabium quoque occurrunt. Atque recte iam Morawski l. s. p. 59 controuersiarum themata a Fabio leuiter tantum tractata copiosius illum explicauisse intellexit. Idem omnia fere schemata Vergilii exemplis ab hoc scriptore illustrari monuit. Sed haec controuersiarum explicationes, cum essent argumenta talia trita atque notissima, facile apud nescio quem inuenire potuit. Aliter res se habet ubi consensus exsistit ita, ut Fabium exscribere non potuerit Iulius Rufinianus qui dicitur schematum scriptor. Eidem enim auctori debere puto illum atque Quintilianum, quod dicunt de *εἰρωνείας* nomine Latino. Legitur apud Quintil. IX 2, 44: '*εἰρωνείαν* inueni qui dissimulationem uocaret'; quae uox eadem occurrit apud alterum scriptorem p. 62, 2: 'latine dicitur (sc. *εἰρωνεία*) dissimulatio uel irrisio'. Neque uero hoc sumpsit ille ex Fabio, quippe qui 'irrisionis' nomen, quantum uideo, nusquam usurpauerit; uertit autem uocabulum *εἰρωνείας* graecum per 'dissimulationem' uel 'inlusionem' (VIII 6, 54). Item res se habet de *ἀντιφράσεως* figura. Laudat enim Fabius IX 2, 47 figuram, 'quae dicitur a negando, quam nonnulli *ἀντίφρασιν* uocant'; eadem figura explicatur ab altero p. 62, 16: '*ἀντίφρασις* est figura sententiae, cum quaedam

negamus nos dicere et tamen dicimus'. Vnde apparet adhibuisse hunc scriptorem in tractatu de schematis dianoeas scripto auctorem Quintiliano minime ignotum. Facile autem fieri potuit, ut ex eodem scriptore [1]) sumeret unum alterumue exemplum doctrinae Fabius in ea parte disputationis, quae pertinet ad orationes figuratas. Neque enim omnia hac in parte de suo proprie deprompsisse Quintilianus aestimandus est, si quidem recte Radermacher communi quodam fonte usos esse Fabium IX 2. 92 et Demetrium de elocutione § 281 (p. 57, 15 R.) statuit.[2]) Qua communis fontis auctoritate haud scio an commode explicetur consensus Fabii et scriptoris de schematis contra scriptores Pseudo-Dionysianos editos ab Vsenero, Dion. Hal. quae fertur ars rhet. (Lipsiae 1895) p. 43 seqq.; cf. Penndorf l. s. p. 176/7. Quis autem fuit communis ille Quintiliani et Ps.-Rufiniani auctor? Rerum ipsarum natura scilicet controuersiarum figuratarum ratio monet, ut intra fines primi Caesarum saeculi consistamus. Atque ut ex scriptoris ipsius testimonio initium faciamus coniecturae: Commemoratur apud Ps.-Rufinianum p. 60, 10 seqq. Cornuti cuiusdam de figuratis controuersiis sententia. Cuius opinionis auctor quin idem sit atque ille de quo agimus L. Annaeus Cornutus non dubito, cum iudicium ibi pronuntiatum optime quadret ad illius aetatem atque ad ipsum de quo loquitur Quintilianus IX 2 67 seqq. statum scholarum,[3]) ubi tales controuersiae pertractabantur. Cornutus enim harum controuersiarum, quarum nimio laborabat aetas studio, oppugnasse immodicum in scholis usum ex Ps.-Rufiniani uerbis intellegitur hisce: 'Sed eius modi figurae, quae iuuenilius (sic I. F. Heusinger, prob. Iahn, prolegg. Pers. p. XIV: *iuuenibus* ed. princeps Basileensis a. 1521, Rob. Stephanus, Halm) in schola lasciuiunt (*lasciuiuntur* ed. princeps), ut Cornutus ait, minime maturae (sic Pithoeus: *minimae naturae* ed. princeps) sunt et parum causis (sic Mailley apud Capperonnerium: *ganeis* ed. princeps: *canis* Pithoeus) foroque conueniunt.' Sic enim restituenda esse puto haec uerba sine dubio

[1]) Ad hunc scriptorem fortasse referenda sunt exempla Vergiliana, quae laudat Ps.-Rufinianus p. 59, 12 seq. et 60, 3 seqq.

[2]) cf. edit. Demetr. adnotat. p. 118/9. Agitur apud utrumque scriptorem de euphemismo uel eis schematis, 'per quae res asperas mollius significant', ita ut qui Victorias aureas conflari iussit ad usum belli, uictoriis utendum esse dixisse exhibeatur.

[3]) Cetera Quintiliani 'de peruersa scholarum condicione rhetoricarum' testimonia collegit A. Reuter, de Quintiliani libro qui fuit de causis corruptae eloquentiae (dissert. Vratislauiae 1887) p. 24 seqq.

corrupta. De genuina *causis foroque* scriptura dubius non haereo, quoniam Quintilianus, ubi agit de controuersiis figuratis, saepius ad rem iudicialem respicit atque uaria causarum exempla profert. Neque Fabium ad Cornuti doctrinam refutandam scripsisse utique negauerim uerba haec (IX 2, 74): 'quod non inseruissem ueritus opinionem iactantiae, nisi probare uoluissem, in foro quoque esse his figuris locum'. Hoc sane dubium esse potest, utrum prorsus reiecerit usum controuersiarum figuratarum Cornutus an, sicuti fecit Quintilianus, mediocrem commendauerit atque circumspectiorem usum. Deinde maturas esse has figuras Cornutus Ps.-Rufiniano teste negauit. Similiter autem Fabius controuersias, quae quanquam difficultatis gratia placeant tamen sint multo faciliores, nominat IX 2, 78 'deuerticula' et 'anfractus' et 'suffugia infirmitatis'; quod genus figurarum qui adhibent ipse comparat cum eis qui uiribus in cursu deficientibus flexu eludunt. Vnde apparet ipsum quoque immaturam atque imperfectam harum controuersiarum condicionem significare uoluisse. Denique non infeliciter mihi Heusinger coniecisse uidetur id quod supra in textum recepi de figuris '*iuuenilius lasciuientibus*': qui 'lasciuiendi' uocis usus comprobatur exemplis e Fabio allatis, quibus usum alicuius rei intemperantem atque petulantiam uel abundantiam hoc uocabulo exprimi posse edocemur: qua de re conferantur 'parui pedes . . . in oratione simili paene licentia *lasciuientes*' (Quint. IX 4, 6) et 'uitiosum et corruptum dicendi genus, quod... puerilibus sententiolis *lasciuit*' (XII 10, 73).

Quae cum ita sint nil refragari uidetur coniecturae, qua nixi ad Cornutum referimus consensum Fabii et Ps.-Rufiniani. Accedit quod ille schematum scriptoris auctor Vergilium, cuius uersibus omnes fere figurae illustrantur, adamasse uidetur, id quod optime conuenit cum Cornuti studiis Vergilianis, qui teste Gellio IX 10, 5 eiusdem poetae uersus tractauit in secundo de sententiarum figuris libro (uide p. 82).

Haec omnia si uere disputata sunt, statuendum erit talem Cornuti de figuris fuisse doctrinam: Scripsit ille, Latino usus sermone, duos minimum libros de figuris sententiarum. Quam disputationem ita instituit, ut controuersiae figuratae pariter tractarentur. Figurarum autem nomina quae exhibuit Graeca et Latina non tam usitata fuisse uidentur (uide p. 55). Singulas figuras praecipue uersibus Vergilianis illustrauit, si modo aliorum scriptorum uel poetarum exempla arcessiuit. Quintilianus eius libellos nouerat atque legerat, de controuersiarum figuratarum ui atque usu

similiter iudicans. Sine dubio autem Cornuti uestigia remanserunt apud Rufinianum quem dicunt[1]) de schematis dianoeas. Quod an non ualeat de tractatu de schematis lexeos, qui Rufiniani nomen prae se fert in editione Basileensi a. 1521 (RL p. 48—58 H.), uel maxime dubito, quoniam quae ratio intercedat inter utriusque tractatus scriptores non satis apparet.

F. Cornuti *ΤΕΧΝΑΙ ΡΗΤΟΡΙΚΑΙ.*

Venimus nunc ad Cornuti artes rhetoricas, de quibus, quoniam omnino fere perierunt, pauca sunt quae moneam. Quas laudari apud Porphyrium in Aristot. categ. p. 86, 23 Busse supra (p. 18) uidimus. Hic fere solus locus est ubi hic liber commemoratur, cum Suidas in uniuersum *πολλὰ φιλόσοφά τε καὶ ῥητορικά* scripsisse illum testetur. Dubius autem haereo, utrum totam hoc

---

[1]) Pseudo-Rufinianum nominaui huius tractatus scriptorem, quia Iulium Rufinianum, cuius extat genuina de figuris disputatio apud Halmium p. 38—47, ipsum scripsisse hunc libellum minime puto. Quanquam ad illius rhetoris disciplinam ea quae de schematis dianoeas hic proferuntur fortasse reuocanda sunt. Nam quod M. Schanz, Gesch. d. röm. Litt. IV 1 p. 164 monuit, non prorsus congruere definitiones figurarum, quae communes sint huius tractatus atque genuinae Rufiniani disputationis, equidem ita comparatas esse has definitiones censeo, ut ad unum eundemque sententiae auctorem referendas illas esse opinanti non sit cur plane obloquamur; cf. definitiones

Rufiniani	no. 1 (p. 38)	et Pseudo-Rufiniani	no. 9 (p. 61/2)
	no. 2 (p. 39)	∾	no. 10 (p. 62)
	no. 7 (p. 40)	∾	no. 11 (p. 62)
	no. 21 (p. 44)	∾	no. 7 (p. 61)

Hoc uero interest inter utrumque tractatum, quod Pseudo-Rufinianus certam quandam describendi speciem secutus eodem fere modo omnium figurarum explicationes aperuit ita, ut inciperet a Graeco nomine et definitione singularum figurarum, deinde afferret explicandi causa Vergilianum exemplum, postremo adderet Latinam figurae nominis uersionem. Praeterea epitomen esse Pseudo-Rufiniani tractatum amplioris cuiusdam libelli inde apparet, quod neglegentius tractauit ille qui excerpsit posteriores figuras, quibus in explicandis omisit et exempla Vergiliana in priore parte saepius laudata et uersionem nominis Latinam. Ceterum unum fere laudauit Vergilium, cum ne uno quidem loco afferret Ciceronem, praecipuum ipsius Rufiniani exemplum. Alterius autem tractatus de schematis lexeos RL p. 48—58 H. scriptorem similiter ignoramus, nisi forte eundem qui scripserit de schematis dianoeas p. 59—62 siue eiusdem magistri discipulum illum fuisse putare praestat et propter simillimam describendi figuras rationem et propter exemplorum ex no fere Vergilioallatoru um similitudinem.

libello artis rhetoricae prouinciam peragrauerit Cornutus an singulos quosdam huius disciplinae campos adierit. Quae Porphyrius de eo refert, ad categoriarum pertinent enumerationem, quam Cornutus etiam in disputatione de Aristotelis categoriis instituta tractauit (uide p. 23). Vnde hoc quoque libello categorias Aristotelicas oppugnasse illum apparet. Conscriptae erant hae artes rhetoricae Graeco sermone. Quibus praeter hoc Porphyrii testimonium uere assignari puto rhetoricae diuisionem a Nicolao progymnasmatum scriptore relatam Rhet. Graec. II 631, 6 W. = III 483, 25 Sp. Quam diuisionem apud Porphyrium, qui ipse quoque hoc loco laudatur, legisse Nicolaum recte, sicuti arbitror, coniecit I. Graeven in artis rhetoricae epitomes,[1]) quam non recte inscripsit Cornuti nomine, prolegomenis p. XXVIII. Vituperat enim Nicolaus eorum sententias, qui nimis magnum rhetoricae generum constituerunt numerum. Cuius rei auctorem fuisse putat Aristotelem, quem praeter *εἶδος δικανικόν* et *συμβουλευτικόν* et *πανηγυρικόν* quartam *ἱστορικοῦ* speciem introduxisse[2]) affirmat. Quae diuidendi ratio ita placuisse uidetur teste Nicolao l. s. artis scriptoribus, ut triginta uel plures probauerint rhetoricae species. Contra progymnasmatum scriptor foedam euitaturus perturbationem ad Cornuti atque Porphyrii diuisionem recurrit, qua in constituenda *ὑποθέσεις* distribuendi rationis fundamenta fuisse dicit. Etenim a diuersis rebus rhetoricae dispositionem repetere artis scriptor licet,[3]) siue proficiscitur a personis apud quos orator dicit, siue rationem habet temporis, loci, rerum ipsarum, aliorum. Cornutus autem, si recte Nicolai uerba intellexi, tres comprobauit in arte sua species, sc. *εἶδος δικανικόν, συμβουλευτικόν, πανηγυρικόν.*[4]) Qua in re genuinam tuebatur Stoicorum doctrinam a Diogene Laertio VII 42 in Zenonis uita plane significatam. Hac autem usus est diuisionis ratione — (. . . *εἰδοποιοῦντας αὐτῶν τὰς ὑποθέσεις*) — Cornutus, ut *κατηγορία* et *ἀπολογία* pertineant ad *εἶδος δικανικόν, προτροπή* et

---

[1]) I. Graeven, Cornuti artis rhetoricae epitome (Berolini 1891). — cf. Fr. Marx, Berl. Philol. Wochenschr. XII (1892) 778—782. P. Egenolff, ibid. XIV (1894) 389—395.

[2]) cf. Volkmann, die Rhetorik der Griechen und Römer² (Leipzig 1885) p. 24. Nicolaus RG III 483, 18 Sp.

[3]) Eiusmodi exempla uaria extant apud rhetores. Nicolaus ipse plures protulit diuisionis rationes; cf. II 630, 21. 631, 4. 631, 9. 631, 12 W. = III 483, 10. 24. 28. 32 Sp.

[4]) Stoici appellabant hoc genus *ἐγκωμιαστικόν*; cf. Diog. Laert. l. s. s.

ἀποτροπή ad εἶδος συμβουλευτικόν, ἔπαινος et ψόγος ad εἶδος πανηγυρικόν; cf. Volkmann l. s. p. 20.

Nihil fere praeterea scimus de hoc Cornuti opusculo. Nam cetera quae restant sub eius nomine fragmenta rhetorica de statuum doctrina in anonymi scriptoris περὶ τῶν στάσεων scholiis V 593, 2 W., in Syriani in Hermog. comm. II 60, 19. 201, 8 Rabe et de κώλου et κόμματος definitione, quam deprompsit anonymus in Hermog. de id. libr. scholiasta ex Lacharis sophistae περὶ κώλου καὶ κόμματος καὶ περιόδου opusculo VII 931, 1 W. (= G. Studemund, Ps.-Castoris excerpta rhetorica [Vratislauiae 1888] p. 8), alteri cuidam Cornuto, qui posterior fuit Annaeo, attribuenda sunt.[1] Quem post Hermogenem et ante Apsinem uixisse mihi persuasit Graeven l. s. p. XXX, nisi quod argumenta exsistere grauiora negauerim, quibus propiorem fuisse illum Cornutum Apsinis quam Hermogenis aetati tam explorata ratione, qua usus est ille uir doctus, euinci possit. Satis autem probabili ratione genuinam rhetorum successionem seruatam esse ille arbitratus est et priore quem modo laudaui Syriani loco, ubi commemorantur Minucianus, Zeno, Hermogenes, Metrophanes, Harpocratio, Cornutus, Euagoras, Aquila, et ab Anonymo VII 930, 25 seqq. W., qui laudat post Isocratem Lollianum, Basilicum, Cornutum, Apsinem. Vterque enim ordo congruit cum eis quae aliunde de singulorum rhetorum aetate et successione colligere[2] possumus, nisi quod Harpocratio aptius ante Metrophanem ponitur; nam Metrophanes contra Harpocrationem disputauit, id quod satis edocuit e Georgii Moni, codicis Parisini 2919 auctoris, testimonio L. Schilling, quaest. rhetor. select. (Annal. philol. suppl. XXVIII [1903]) p. 749; de Minuciano egit p. 753 seqq., de Harpocratione p. 742 seq. Nil autem obstat quominus ordinem eorum qui ante Hermogenem scripserint rhetorum ita constituamus, ut Syrianum et Anonymum secuti deinceps scripsisse putemus Lollianum, Basilicum, Minucianum, Zenonem, cum post Hermogenem eisdem usi testibus ponamus Harpocrationem, Metrophanem, Cornutum, Apsinem, Euagoram, Aquilam. Quibuscum consentiunt quae de singulis disputauit St. Gloeckner,[3] quaest.

[1] cf. Graeven, Corn prolegg. p. XXVII seqq.; id., Hermes XXX (1895) p. 305/6.

[2] cf. Graeven l. s. p. XXVII. XXIX.

[3] De Lolliano, qui proximus Minucianum et Hermogenem praecessit, disputauit l. s. p. 50—54, de Basilico p. 58 seq. De Minuciani, cuius artem ab Hermogene impugnatam esse demonstrat, uita egit p. 22—24. Zenonem medio fere altero p. Chr. n. saeculo Athenis docuisse dicit p. 106. Euagoram et Aquilam non ante annum p. Chr. n. 250 floruisse putat p. 69.

rhetor.. Vratislauiae 1901 (= Breslauer philolog. Abhandlgn. VIII 2). De quibus fusius disputare hoc loco iam non licet.

G. De enuntiatione uel orthographia.

Iam accedamus ad L. Annaei Cornuti libellum de enuntiatione uel orthographia conscriptum. Enumeratur Cornutus inter orthographiae scriptores [1]) a Cassiodorio, qui ante Velii Longi praecepta primo loco Annaei excerpta affert GL VII 147—154 K. Atque re uera Cornutus antiquissimus fuit eorum, quorum uarias de orthographia sententias collegit ille ad monachos suos instituendos. Quomodo autem usus sit eius disputatione de singulis non iam patet, nec genuini libelli dispositio, forma, ambitus satis cognoscuntur, quoniam medias in res introducimur a Cassiodorio, qui suo arbitratu haec omisisse, illa mutasse uel parum diligenter expressisse iure existimatur. Neque tamen leuioris momenti fuisse libellum uelim colligas ex eo, quod non commemoratur nisi apud Cassiodorium. Leguntur enim in eis, quae exhibet ille, quaedam scitu haud indigna, neque omnino totus libellus trita aut peruulgata praecepta a pueris in scholis decantata continet; quod infra exemplis illustrabitur. Ceterum grauiora argumenta exsistere negauerim quibus commoti peculiarem de orthographia librum minime scripsisse Cornutum dicamus, id quod fecit L. Mackensen, de Verrii Flacci libris orthographicis (Commentat. philol. Ienens. uol. VI [1899]). Qui ita iudicauit p. 18: 'Itaque Cornutus, cum compendium de orthographia eum non scripsisse iam constet, in aliis libris grammaticis occasione oblata quaestiones orthographicas tractasse iudicandus est. Quas collegit grammaticus quidam non superior saeculo medio secundo et paucis de suo additis in compendiosam formam usui scholarum accomodatam redegit, cui libro quanquam nouo tamen insignis grammatici ueteris nomen inscripsit. Hoc igitur inferioris aetatis grammatici libro Cassiodorius in excerptis suis usus est.' Contra unde concludere liceat Cornutum talem de orthographia librum compendiosum non scripsisse apte quaeritur. Primum enim in compendii formam contulisse Annaeum doctrinam ex Cassiodorio minime colligere [2]) debemus, qui quomodo

[1]) cf. H. Keil, GL VII p. 133. W. Brambach, Neugestaltung d. lat. Orthographie (Leipzig 1868) p. 30 seq.

[2]) Vereor ne hanc compendiariam libelli formam statuerit Mackensen haud recte perspiciens Brambachii l. s. p. 31 uerba, qui quanquam 'compendii'

excerpta restrinxerit atque auctorum disputationes ampliores ad libidinem contraxerit ipse in praefatione profitetur p. 145, 14 K: 'erit itaque propositum nostrum quae competenter modernae consuetudini ab antiquis tradita sunt quasi in unam coronam redigere et usui celeberrimo deputare. illa uero quae antiquitati magis conueniunt expedit sine dubitatione relinquere, ne labor adsumatur incongruus, qui praesenti saeculo uidetur inutilis.' Idem satis intellegitur factum esse, si comparamus genuinum Velii Longi libellum VII p. 46—81 K. cum eis, quae excerpsit Cassiodorius ex huius grammatici opusculo p. 154 seq. K. Deinde iniuria, ut uidetur, peculiarem de orthographia librum composuisse Cornutum negat Mackensen: Quid? quod inter auctores orthographos (p. 145, 23 K.) uel orthographiae (p. 147, 16) apud Cassiodorium[1]) cum intellegendus est ille tum ipse exscribitur? Quinam deinde fuerunt isti libri grammatici, ex quibus quaestiones orthographicas occasione oblata tractatas grammaticus quidam collegerit? Nam ut omittam nil de talibus libris referri, et Verrii Flacci exemplo peculiaris hac de re libellus comprobatur et L. Caesellii Vindicis commentaria ne talem librum a Cornuto scriptum reiciamus dissuadent. Neque enim mirum uidetur, Cornutum orthographiae praeceptis operam dedisse similiter atque Verrium, cuius uestigia uel in Cassiodorii excerptis cognoscuntur, quoniam quaestiones illum instituisse supra uidimus de iisdem fere rebus, quae saepenumero a scriptoribus, qui tum atque paulo ante fuerunt, summo opere tractabantur. Scripserat Athenodorus de Aristotelis categoriis; Vergilium Hyginus, obtrectatores illi Vergilii, alii explicauerant et impugnauerant; figurarum praecepta multi docebant. Deinde L. Caesellius Vindex complura sumpsit doctrinae exempla e Cornuti praeceptis[2]) (u. infra p. 69). Qui cum priore alterius p. Chr. n. saeculi parte uixerit[3]) ante eum, quem singulas

uocabulum exhibet, tamen ita hoc uocabulo utitur, ut ex ipso hoc compendio uel peculiari libello excerpta illa fluxisse putanda sint.

[1]) cf. praeterea excerptorum conclusionem p. 209, 6; 26 K. Ex Cassiod. instit. diuin. lect. c. XXX (p. 212, 24 K.), ubi Cornutus inter antiquos orthographos non commemoratur, nil concludere ausim; Focam enim ibidem laudatum frustra quaerimus in Cassiodorii excerptis.

[2]) Huius rei testimonia eruuntur et ex praeceptis, quae ex Caesellio orthographo collecta protulit Cassiodorius p. 202 seqq. et ex eis, quae L. Caecilio Vindici attribuit p. 206 seq., cum idem haud dubie in utraque disputatione auctor intellegendus sit; cf. Keil l. s. p. 139.

[3]) cf. Keil l. s. p. 139. Goetz apud Wissowam uol. III p. 1305 no. 2.

Annaei obseruationes orthographicas passim propositas collegisse opinatur Mackensen, idem iam fecisse iudicandus esset, si uera statuisset ille. Quod haud scio an nemo uerum putauerit. Mihi quidem perquam uerisimile est id, quod quicunque animo non praeoccupato Cassiodorii uerba legerit uerum esse sentiet: scripsisse Cornutum proprium de orthographia uel enuntiatione tractatum. Quem praeter Varronem utpote praecipuum quidem fontem adhibuit L. Caesellius Vindex. Neque uero Cassiodorium Cornuti doctrinam per recentiorem quendam grammaticum nouisse est cur dicamus, sed genuinum ipsius librum excerptori praesto fuisse uerisimile est. Nam quod Mackensen l. s. p. 18 Brambachium secutus haesit in eis quae de antiqua scriptura uocis *causa*[1] sc. ab antiquis per duo s scriptae leguntur in excerptis p. 149, 12, non tantum ualere hunc unum locum mihi persuasi, ut posteriori aetati adscribendam censeam totam disputationem. Qui hoc fecit, illo est usus argumento, ut grammaticum sub Nerone florentem uocare non potuisse diceret antiquam scripturam eam, quae in usu fuerit Ciceronis atque primis Caesarianis temporibus. Nam re uera tum talia uerba scripta sunt ita ut s littera geminaretur.[2] Qua in re me dubitasse libere confiteor an latiore sensu antiquitatis uox in hoc libello percipienda sit, ita dico ut 'antiquam scripturam' nominauerit tractatus scriptor minime eam, quae uiguerat aliquanto ante suam aetatem, sed eam in uniuersum significauerit, quae non iam in usu erat tum cum scripsit, siue satis multi anni siue non ita multum temporis intercesserat post scripturam obliteratam. Nam quod Cassiodorii auctor *causam* per unam s litteram scribendam praecepit, bene hoc quadrat ad Cornuti ipsius aetatem, quod apparet ex Quintil. I 7, 20. Deinde optime cum tota Cornuti disputationis ratione conuenit, quod legitur l. s. p. 149, 14: 'in qua enuntiatione quo modo duarum consonantium sonus exaudiatur, non inuenio', quoniam saepius s c r i p t u r a et e n u n t i a t i o inuicem respiciuntur: cuius rei exempla extant haec: p. 148, 1 'm consonans perscribitur quidem,

---

[1]) Extant haec uerba l. s.: '*Causa* per unam s: nec quemquam moueat antiqua scriptura: nam et *accussare* per duo s scripserunt, sicut . . . (sequuntur exempla uocabulorum male deperditorum) . . . per duo s scriptum inuenio. in qua enuntiatione quo modo duarum consonantium sonus exaudiatur, non inuenio.'

[2]) *Caussa* per duo s scripta legitur Monum. Ancyr. III 1; cf. ibidem II 42 *cl]aussum*, sed II 44 *clausum*; uide Mommseni edit. p. 192.

ceterum in enuntiando durum et barbarum sonat' — p. 149, 4 'ita scribendum, ut auditur' — p. 149, 5 'utrum quod audimus, an quod scribi oporteat, scribendum sit' — p. 150, 12 'enuntiare et scribere' — p. 150, 16 'et ad enuntiandum et ad scribendum' — p. 151, 11 'quia omnino enuntiari saepe litterae praepositionum non possunt' — p. 151, 13 'sono internoscemus' — p. 151, 15 'consonantes mutantur (sc. in scriptura), quia nullo modo sonare d littera potest' — p. 151, 16 'est ubi sonet et ubi scribatur' — p. 152, 1 'alicubi tamen sonat et ob hoc necessario scribitur . . . itaque ubi sonuerit, ibi ponemus' — p. 152, 5 'docui n sonare debere, tametsi in scriptura m positum sit.'

Tum similem comparandi scripturas modum inuenimus apud Cassiodorium p. 153, 11: 'Y littera antiqui non semper usi sunt, sed aliquando loco illius u ponebant . . .' Etenim usque ad Augusti tempora modo y, modo u scribebatur, cum ex eo tempore fere semper y littera occurrat posita.[1]) Postremo ne illud quidem quod moneamus indignum est, quo praecipue fulcitur nostra opinio, uerborum quandam similitudinem obseruari posse, cum sicuti p. 149, 12 legitur: 'nec quemquam moueat antiqua scriptura: nam . . .', ita simillime defendat scriptor *tamtus* et *quamtus* scripturam hisce (p. 152, 4): 'nec quosdam moueat, si n sonat: iam enim . . .' Hoc autem loco Cornuti indolem quisquis argutias eius etymologicas nouerit (cf. p. 66) agnoscet. Ergo cum ad hunc in libello tractando finem peruenerimus, ut Cornuti auctoritatem defendendam neque ullum grammaticum recentiorem inter eius libellum et Cassiodorii excerpta interponendum putemus, iam ad singula aggrediamur.

Versatur hic libellus in enuntiatione et orthographia tractandis, quas Graece dicebant uiri docti *ὀρθοέπειαν* et *ὀρθογραφίαν*. Quid uero intersit inter utrumque apertius explicauit Velius Longus p. 71, 10 et p. 72, 2 K.[2]) Qui eandem diuersi generis disciplinarum differentiam respiciens ne confundantur *ὀρθοεπείας* et *ὀρθογραφίας* tractationes, quippe quae inter se distent, monuit p. 71, 9. Quomodo autem Cornutus saepius enuntiationem uel sonum adhibuerit ad scripturam illustrandam supra uidimus. Etenim summum huius scriptoris consilium hoc est, ut disputet de recta scriptura, 'utrum quod audimus, an quod scribi oporteat, scribendum sit' (p. 149, 5).

---

[1]) cf. Brambach l. s. p. 202.

[2]) cf. etiam Vel. Long. p. 66, 14. 68, 9. 72, 11; 22.

Qua in re neque ita iudicat, sicuti Suetonium iudicasse apparet ex Sueton. Aug. 88,[1]) scilicet prorsus diuersas esse enuntiationis et scriptionis rationes, neque eorum partes sequitur, qui 'sic scribendum quidque iudicabant quomodo sonat'; de quibus conferantur Quintil. I 7, 30. Vel. Long. p. 80, 13. Cornutus apud Cassiodor. p. 149, 3. Papirianus ibid. p. 161, 9. Probat autem Cornutus mediam quandam atque temperatam scribendi et loquendi condicionem, cum dicit p. 149, 6: 'ego non omnia auribus dederim'. Quanquam maximam in partem soni et scripturae consensum appetere uidetur.

Incipiunt Cassiodorii excerpta a disputatione, qua scriptor Aemilium nescio quem amicum allocutus de littera m quando dicenda, quando supprimenda sit, uel quando seruet litterae sonum, quando durum et barbarum sonet, quaerit. Deinde quid ualeat digamma demonstrat, quam litteram modo pro digamma, modo pro uocali scribi affirmat, quibus praemittit huius uocis explicationem etymologicam.[2]) Sequitur uarium genus obseruationum, quae pertinent ad diuersitatem antiquae scripturae, de uocabulis per d uel t, per q uel c scriptis, de gemina s littera apud antiquos posita, de uocabulis secundum ueterem consuetudinem per o, tunc per e scriptis, de geminatione litterae l. Tum de eis quae per duo u, quae per u uel i scribantur similiter disserit (p. 150, 5 seqq.) Hinc pergit post breuem adnotationem de scriptura uocum *uineae* uel *uiniae* et uocis *interuallum*, quam explicat deriuatione uocabulorum, et paucis de *extinguunt* per duo u scribendo interiectis ad praepositionum cum uerbis aut uocalibus compositarum mutationem. Rursus deinceps secundum etymologiam singularum uocum scripturam defendit (p. 152, 3 seqq.). Quibus tractatis de h, littera sit ponenda post eam litteram cui conferat adspirationem necne, disputat atque pauca de uerbis quae adspirationem habere debeant uel imminuantur subicit (p. 152, 8 seqq.) Denique adspiratione quae potissimum pertineat ad y et r litteras uberius explicata Graecorum uerborum per z uel ss scribendorum usum exemplis illustrat (p. 154, 7).

Haec omnia fere ita sunt comparata, ut optime conueniant

---

[1]) Scripsit Suetonius de Augusto haec: 'orthographiam . . . non adeo custodit, ac uidetur eorum potius sequi opinionem, qui perinde scribendum, ac loquamur, existiment.'

[2]) cf. p. 148, 5: 'digamma nominatur (sc. littera in F litterae speciem figurata), quia duos apices ex gamma littera habere uideatur'.

cum scribendi ratione eius aetatis qua uixit Cornutus. Saepius deinde easdem quaestiones ab eis qui de orthographia scripserint tractatas esse suo iure monuit H. Keil in praefatione editionis p. 133. Praecipue autem Cornutus animum intenderat et in consuetudinem et in etymologicae rationis studium, quod per se propter Stoicorum notissimum studiorum etymologicorum feruorem uerisimillimum est et ipso illo theologiae compendio, quod scripsit Cornutus nimis fere indulgens uerborum atque nominum explicationi, plane comprobatur. Neque tamen ut leges atque praecepta inueniret uel proponeret, a quibus repetenda esset sincera scriptura quaeque in uniuersum de orthographia ualerent, Annaeus operam dedit, sed singulas uoces, quarum incerta ipsi uidebatur scriptura, eligens quid uerum esse putaret professus est. Quanquam certum quendam dispositionis modum, qui apud Cassiodorium perturbatus et obscuratus sit, illum obseruasse tuo iure conicias. Saepius deinde antiquae scripturae et enuntiationis exempla protulit hisce locis: p. 148, 9 'et Aeoles fecerunt et antiqui nostri' — p. 148, 20 'apud antiquos . . . unde nos' — p. 149, 10 'secundum antiquam enuntiationem' — p. 149, 12 'antiqua scriptura' — p. 149, 16 'olim . . . hodie' — p. 149, 21 'ab antiquorum consuetudine' (sc. translatum est); cf. p. 150, 1 'apud illos' — p. 150, 13 'in antiquiorum multo libris, quam Gaius Caesar est' — p. 151, 20 'quod antiqui dixerunt "sustollere", nos praeterito "sustuli"' — p. 152, 7 'antiqui . . . dicebant' — p. 153, 7 'apud antiquos et apud Ciceronem' — p. 153, 11 'antiqui . . . in illorum quidem libris . . . at in nostris' — p. 154, 7 'in antiquis libellis'.

Quod haud scio an fecerit Verrii Flacci secutus exemplum, quem similiter has quaestiones tractasse demonstrat Mackensen l. s. p. 61. Etymologicarum autem explicationum unam alteramue ad ipsius Annaei ingenium reuocare minime dubitauerim. Sic ad eum refero quod p. 149, 7 declaratur '*quotidie* tractum esse a *quot diebus*, hoc est *omnibus diebus*'. Cuius uocis etymologiae ab aliis ueterum grammaticis repudiatae[1]) gratia scripturam per *quo* inepte seruauit. Aperte impugnatur haec uocis explicatio a Quintiliano I 7, 6 (cf. Isidor. Orig. I 26, 22); quem, si recte disputaui de Cornuto ex-

---

[1]) Simillimam uocis explicationem, sc. a *quoto die* '*quotidie*' dictum esse, improbant Velius Longus p. 79,16 et Papirianus p. 158, 18 K.; cf. etiam Priscianus III 323, 5. 334, 9 K; Marius Victorinus VI 13, 22 K. De uocis etymologia atque scriptura adnotauit Buecheler, carmina latina epigraphica I p. 110 (ad 231, 3) '*cottidie* recte . . . per duas t . . ., nam ut *ποστός* ad *πόσοι*, sic *cottus* ad *quot*'.

plicationis auctore, hunc de orthographia libellum nouisse in propatulo est. Item fortasse Cornutus ipse excogitauit id quod legitur apud Cassiodorium p. 152, 3 de uocabulis *tamtus* et *quamtus* m littera scribendis, ubi quanquam n sonare debeat, tamen propter uocis originem praua scriptura commendatur. Quod praeceptum idem legitur ad uerbum exscriptum in Cassiodorii ex orthographo Caesellio excerptis p. 203, 11 eandemque etymologiam protulit Albinus GL VII 308, 11 K., haud dubie Cassiodorium auctorem secutus; qua de re cf. Keilii praefat. p. 225 extr.

Deinde ad Cornutum Graecarum litterarum peritissimum bene quadrat repetita in hoc tractatu laus Graecorum; conferantur autem hi loci: p. 148, 17. 149, 19. 152, 6. 154, 5. 9. In quibus maioris momenti est breuis illa adnotatio (p. 149, 19) de eis, qui *malo* a graeco uocabulo *μᾶλλον* deriuandum rati per duo l scribebant, qua de etymologia hoc solum extat Annaei testimonium.

Praeterea augetur hoc libello nostra de V a r r o n i s doctrina scientia, quoniam copiosiora praecepta edidisse hunc grammaticum de h littera atque de adspiratione edocemur p. 152 seq. Item de nomine auctoris, qui Caesaris in superlatiuis per i scribendis auctoritatem indicauerat, certiores fimus p. 150, 11. Qua de re ipsa quanquam aliorum quoque scriptorum narrationes ad nos peruenerunt,[1]) nemo tamen huius auctoris sc. Varronis nomen appellauit, nisi forte Isidorum uis laudari, qui Orig. I 26, 15 haec uerba exscripsit. Porro Varronis doctrinam adscripto nomine laudauit Annaeus hisce locis: p. 148, 10 de *VAV* pro digamma scripto, p. 151, 4 de uoce *interuallum*, p. 154, 1 de r littera quam, si primo loco poneretur, uetabat adspirari. Et fortasse Lucilii quoque memoriam (l. IX 382 Marx) petiuit p. 149, 3 a Varrone, quem Terentio Scauro illius poetae uersus qui extant GL VII p. 18, 17 seqq. (l. IX 351 seqq. 358 seqq. M.) suppeditasse probabile uidetur.[2]) De libris autem quibus haec Varronis praecepta praeter id, quod ex libro de grammatica depromptum ipse significat Cornutus p. 153, 1 attribuenda sint, post Ritschelium quaest. Varr. p. 23 = opusc. III 372 disputauit Wilmanns[3]) de Varr. libr. gramm. p. 87. 89 seqq.,

[1]) cf. Quintil. I 7, 21. Mar. Vict. GL VI 10, 25 K. VI 9, 3, ubi uelim legas cum Brambachio l. s. p. 112: 'idem (sc. C. Caesar) *optimus maximus* scripsit, u t n o s, n o n p e r u l i t t e r a m' (pro 'non ut nos per u litteram').

[2]) cf. Keil GL VI p. 8. Marx, Lucilii prolegg. p. LXII.

[3]) Fragmenta Varronis exscripta leguntur apud Wilmannsium l. s.
frg. 46 (p. 176) = GL VII p. 148, 10 K.
43 (p. 173) = 150, 11.

quem recte de libris de sermone latino cogitare equidem arbitror.

Haec de Varrone Cornuti auctore. Deinde Verrii Flacci doctrinam cognoscere licet in illius disputatione de littera y, quam comparare possumus cum Velii Longi, qui Verrium secutus est, praeceptis. Legitur enim:

Cassiod. p. 153, 11:	Vel. Long. p. 49, 6:
'Y littera antiqui non semper usi sunt, sed aliquando loco illius u ponebant.'	'Verrio Flacco uidetur eandem esse apud nos u litteram quae apud Graecos est y.' p. 50, 8: 'excludunt quidam litteram x, ea scilicet ratione, qua antiqui nostri repudiauerunt id quod apud Graecos est y.'

Haec uides quomodo consentiant; id solum interest inter utrumque, quod secundum Verrium pro y littera semper, secundum Cassiodorii auctorem aliquando posita esse u littera uidetur.[1]) Deinde Verrium Flaccum de z littera a lingua Latina aliena disputasse demonstrat Velius Longus p. 51, 1, qui per duo s scribi atque enuntiari illam solere testatur. Idem fere affirmatur a Cornuto p. 154, 7. Nec prorsus opinionem refutare ausim si quis eorum, quae similiter describuntur a Cornuto et a Mario Victorino,[2]) unum alterumue ad Verrii auctoritatem reuocandum esse censeat, cum Flacci doctrinam apud Marium latentem detexerit Mackensen l. s. p. 33 seqq. Porro Velii Longi atque Cornuti consensum[3]) nonnun-

---

frg. 51 (p. 179) =	GL VII p. 151, 4 K.	
56 (p. 181) =	152, 9.	
95 (p. 211) =	153, 1.	
57 (p. 182) =	154, 1.	

[1]) In medio quidem posita est Papiriani sententia GL VII 160, 16 K., qui exempla profert et Verrii et Cornuti. cf. etiam Terentius Scaurus p. 25, 13.

[2]) cf.

de uoce *sed*	p. 148, 19 =	Mar. Victor. GL VI p. 10, 13 K.
de u littera in duarum litterarum potestatem coacta	148, 12 =	15, 3.
de o uel e littera scribenda	149, 16 =	10, 22.
de *-imus* uel *-umus*	150, 10 =	9, 3. 10, 25.
de y uel u littera	153, 11 =	11, 1.
de z uel ss litteris	154, 7 =	10, 26.

[3]) cf.

de m littera	p. 147, 24 =	Velius Longus p. 54, 4.
de scribendi atque enuntiandi ratione	149, 3 =	54, 1.
de uoce *sed*	148, 19 =	70, 8.

quam ita explicare fortasse licebit, ut de Verrii doctrina tanquam communi utriusque fonte cogitemus. Nec repugnat cum hac sententia id quod statuit Mackensen p. 49 de Varronis doctrina, quam per Flaccum nouisse et Velium Longum et Terentium Scaurum demonstrat. Nomen uero ipsius Flacci ter adscripsit Longus p. 49, 6. 51, 1. 80, 18. Postremo similitudinem quandam, quae Verrii auctoritate commode explicatur, proponam. De *uineis* enim traduntur haec

apud Cassiodor. p. 150, 18:

'*Vineas* per e quidam scribendas tradiderunt, si hae significarentur, quas in agris uidemus; at contra per i, *uinias*, illas sub quibus latere miles solet, quod discrimen stultissimum est. nam neque aliunde uineae castrenses dictae sunt, quam quod uineis illis agrestibus similes sunt.'

apud Festum ex apogr. l. XX p. 376, 12 M. = p. 574, 12 de Ponor:

'*Vineae*, ut Verrius praecipit, quod uino feraces (*uini feraces* ed. Thewrewkius) sint: etiam militares quaedam machinationes a similitudine appellantur.'

Haec de Cornuti auctoribus, quorum quidem uestigia aliqua cum fide cognosci possint. Nunc ubi Annaei ipsius libelli uestigia remanserint apud alios scriptores paucis subiungam. Qua in re breuis esse possum, quoniam H. Keil in illorum scriptorum libris atque frustulis edendis et Mackensen adnotationibus passim propositis rem fere prorsus absoluerunt. Neque uero semper utrum consensus repetendus sit a communi quodam fonte an ita rectius explicetur, ut Cornutum exscripsisse illos scriptores dicamus, certo diiudicare ausim.

Ac primum quidem Cornuti uestigiis insistit L. Caesellius Vindex de praepositionibus cum uocabulis componendis p. 207, 7, ubi ad uerbum fere leguntur quae extant apud illum p. 151, 13. Ex altera autem disputatione Caesellii[1]) huc pertinent adnotationes de uocibus *tamtus* et *quamtus* p. 203, 11 et de uocis *exsilium* etymologia p. 203, 22, de quibus docuit Cornutus p. 152, 3 et 152, 6.

de u consonantis uel uocalis uicem obtinente	p. 148, 12 =	Velius Longus p.	48, 8. 58, 9. 66, 22.
de *-imus* uel *-umus*	150, 10 =		49, 19. 67, 3.
de uoce *uehemens*	153, 7 =		68, 15.
de y uel u littera	153, 11 =		49, 6. 50, 9.
de adspiratione	153, 14 =		81, 5.

[1]) cf. p. 62 adn. 2.

Per Caesellium fortasse Annaei doctrinam nouerat Papirianus[1]) p. 159, 18 de adspiratione (= p. 153, 7), p. 161, 5 de eis uocabulis quae per duo u scribuntur (= p. 150, 6), p. 162, 9 de praepositionibus (= p. 151, 7), ubi similiter omiserunt Caesellius p. 207, 7 et Papirianus p. 162, 13 exemplum uocis *arrideo* (= p. 151, 13) a Cornuto laudatum. Deinde consensus quidam exsistit inter Papirianum p. 160, 16 et Annaeum p. 153, 11[2]) atque de *malo* per unum, *malle* per duo l scribendis p. 159, 1 (= p. 149, 21); hoc interest quod Cornutus *nolo* atque *nolle* uoces coniunxit cum *neuolo* et *ne uelle* uocabulis, alter cum *non uolo* et *uon uelle*. Sed haec leuiora.

Praetera Terentius Scaurus[3]) Cornuti sententias nouerat. Qui quin impugnauerit illius doctrinam p. 153, 14 pronuntiatam nemini erit dubium,[4]) qui uituperantem audiuerit Scaurum eos qui usquam 'Y litteram praecedentem exiliter enuntiari' negabant; cf. p. 22, 17. 24, 1. Cornutus enim y litteram per se adspiratiuam esse et, quocunque uocabulo primum locum haberet, adspirari docuerat. Eandem fere Cornuti sententiam auctoris nomine omisso protulit Velius Longus p. 81, 3 Scaurum, ni fallor, secutus,[5]) cuius librum ante oculos ipsi fuisse monuerunt H. Keil p. 44 et Mackensen p. 32. Terentius Scaurus autem saepius easdem quas egit Cornutus quaestiones tractasse perspicitur, ut facile unam alteramue obseruationem, ubi consentiunt,[6]) ad Annaeum referamus auctorem. Quanquam plurima sunt admodum incerta. Quod uero duobus locis apud Curtium Valerianum p. 157, 16 et 155, 24 ad uerbum fere exscripta extat Cornuti doctrina (= p. 154, 7 et 149, 1), hoc nil ualet, quoniam minime ipsum Cornutum adisse, sed Papiriani uel alterius cuiusdam auctoris libellum usurpasse

---

[1]) Nominat Papirianus Caesellium p. 161, 17. De Papiriano uide Mackensen l. s. p. 14.

[2]) cf. p. 68 adn. 1.

[3]) cf. Mackensen l. s. p. 9 seqq.

[4]) Cornuti nomen non adscripsit Scaurus similiter atque eodem loco omisit nomen Varronis, quem similiter increpat hoc modo p. 22, 17: '. . . a quibusdam . . . contendentibus neque litteram eam (sc. h) esse'; ad quae cf. Varronis frg. 95 p. 211 W.

[5]) Scaurus p. 23, 18 = Velius Longus p. 81, 9. De Velio Longo cf. Mackensen l. s. p. 8 seq.

[6])

Scaurus p. 12, 8 =	p. 148, 19.	Scaurus p. 21, 14 =	p. 149, 12.
12, 15 } 17, 4 } =	148, 12.	24, 13 =	150, 10.
19, 14 =	153, 7.	25, 13 =	153, 11.

hunc scriptorem conicio cum H. Keilio p. 134. Item Albinum orthographum [1]) GL VII p. 295 seqq. et Isidorum Hispalensem [2]) in Originibus ipsum Cornuti libellum inspexisse nemo putabit; quorum libros, cum nil inde lucremur ad Cornuti doctrinam accuratius perspiciendam, commemorasse satis habeo.

H. De ceteris quae extant de Cornuti doctrina testimoniis.

Quae quoniam exposui paucissima restant quae de Cornuti fragmentis adiciam. Ac primum quidem dicam de loco Charisii GL I p. 201, 10 K. sane corrupto. Qui quam saepe excitauerit uirorum doctorum disputationes uel coniecturas non est quod moneam post Keilium l. s. adn. et Buechelerum, mus. Rhen. uol. XXXIV (1879) p. 347; cf. etiam Ribbeck, comicorum Romanorum fragmenta [3] p. 91 [276]. Citatur enim a Charisio l. s. praeter Caecilium (sc. Statium) 'annęus cornutus lib̄ tab̲ castar̄ patris sui' (uide infra p. 83), quo de libro praeterea nullum extat testimonium. Cogitauit Buecheler l. s. de libro quodam 'tabularum castrensium', cum patris sui testamentum in castris factum singulari libro edidisse Annaeum putaret. Sed mihi quidem, si coniecturam proponere licet, Caecilianorum uersuum mentio eodem Charisii loco illata alio uocare uidetur. Nam cum uerba grammatici p. 201, 13 'profecto qui (*profertoque* Ribbeck) nobis in mundo futurum lectum' ad Caecilianam fabulam, non ad Annaei opusculum, communi uirorum doctorum consensu referantur, ipse Cornutus recte is putatur, qui hunc uersum scilicet uocis *in mundo* explicandae causa alicubi adscripserit. Quod aptius ad librum quendam grammaticum uel orthographicum reuocari putauerim.[3]) Neque abhorret hic citandi modus a Charisii scribendi usu, qui saepius exempla laudat scriptorum ita, ut qui auctores singulas protulerint obseruationes pronuntiet uerbis ueluti hisce: 'ut . . . notat; ut . . . scribit; ut . . .

---

[1]) Albinus p. 298, 22 = p. 149, 12. | Albinus p. 308, 10 = p. 152, 3.
300, 25 = 152, 6. | 310, 27 = 148, 19.
305, 11 = 149, 19. |

[2]) Isid. Orig. I 26, 15 = p. 152, 3. | Isid. Orig. I 26, 15 = p. 150, 10.
I 26, 24 = 148, 19. | I 26, 20 = 149, 1.
I 26, 16 = 149, 19. |

[3]) cf. Iahn, Persii prolegg. p. XXI.

refert'; quo de conferatur Charisius p. 117, 13. 124, 13. 127, 18. 137, 13. 213, 13. 217, 3; 8; 14. 218, 28. Similiter autem atque eo de quo agimus loco rerum ordo tenetur ita, ut primo loco nomen proponatur scriptoris cuius laudatur exemplum, deinde nominetur is qui notauit hanc rem, tertio loco sequatur ipsum exemplum, apud Charisium p. 122, 11. 145, 29. 212, 16. Deinde uerbis 'liƀ taƀ castar̄ patris sui' titulum quendam significari ab omnibus conceditur. Quae res duplici fere modo explicari potest. Nam aut nomen intellegendum est opusculi illius, quo condiderit hanc doctrinam Cornutus aut, quod mea quidem sententia aeque statuere licet, titulus laudatur fabulae Caecilianae, ad quam pertineat uersus commemoratus. Atque hanc secutus opinionem latere sub illis uocabulis conicere ausim titulum fabulae Caecilianae, cui inscribitur 'Hypobolimaeus Rastraria', cuius adhuc restant fragmenta (Ribbeck[3] p. 58 [86] seq.), licet eadem fuerit quam laudat Charisius p. 132, 4 Graeco nomine adposito aut alia quaedam similis. Etenim aliorum quoque scriptorum uel opusculorum nomina foede deprauata esse librariorum incuria uel inscitia quicunque singulos Charisii locos examinauerit facile intelleget. Fabulae autem modo laudatae genuinum titulum nusquam fere extare sine mendis exaratum in codicibus satis apparet ex lectionibus, quas quidem adnotauerint Keil GL II p. 200 adn. et Ribbeck l. s., quibus addi possunt, quae adscripserunt ad Nonium Marcellum L. Quicherat in editionis Parisinae (a. 1872) p. 590 (ad p. 505 I. Merceri) et L. Mueller Nonii editor I p. 22, 17 adn. (ad p. 16 M.). Postremo exstiteritne apud Charisium I p. 201, 10 K. plenus titulus an solum Rastrariae nomen adiecta uoce 'fabula' non iam intellegitur neque qua ratione singula sint restituenda ita, ut nulla remaneat dubitatio, pro certo affirmari potest.

Superest ut commemorem *Persii saturas a Cornuto retractatas*. Neque enim ipse ediderat poeta opusculum quod nunc extat, quoniam praematura morte abreptus est. Neque talem reliquit hunc libellum, qualem licuit propinquis uel magistris edere immutatum. Quas curas susceperunt Cornutus atque Caesius Bassus, alter Persii amicus,[1]) cui obtulit ille sextam quae nunc numeratur saturam. Ita autem munere functi sunt Annaeus et

[1]) De eo egerunt Buecheler, mus. Rhen. uol. XLI (1886) p. 458. M. Schanz, Gesch. d. rōm. Litt. II 2[2] p. 71. Skutsch apud Wissowam uol. III p. 1312 no. 16.

Bassus, ut ille praepararet opusculum ad editionem emendando, uel paululum mutando, hic ipse ederet exemplar retractatum. Quo de legitur in Persii uita p. 59, 16 B.: 'scriptitauit et raro et tarde (sc. Persius). hunc ipsum librum inperfectum reliquit. uersus aliqui dempti sunt ultimo libro, ut quasi finitus esset.[1] leuiter conrexit (ita Laurentianus: *contra* * *et* uel *contraxit* uel *recitauit* libri: *retractauit* Bouherius) Cornutus et Caesio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum.' Deinde Cornuto auctore a matre Flacci post mortem poetae quae scripserat adulescens praeter saturarum libellum deleta sunt. Qua de re iterum disputantem audire licet uitae auctorem p. 59, 20 B.: 'scripserat in pueritia Flaccus etiam praetextam et *hodoeporicon*[2] librum unum et paucos in socrum Thraseae in Arriam matrem uersus, quae se ante uirum occiderat. omnia ea auctor fuit Cornutus matri eius ut aboleret.' Quod uero Cornutus uersum saturae I 121 'auriculas asini Mida rex habet,' ubi nimis aperte Neronem denotasse poeta ab ipso putabatur, correxisse perhibetur a uitae scriptore l. s. et a scholiasta ad hunc uersum ita, ut 'auriculas asini quis non habet?' scripsisse, id quod legitur in nostris hodie exemplaribus, dicatur, suo iure posterioribus commentatoribus tribuerunt Persii editores[3] hanc fabulam, ex praua totius saturae indolis interpretatione petitam. Etenim illud tenendum est Persium non unius personae mores improbos uel inepta studia castiganda sibi proposuisse, sed totius aetatis suae omniumque, qui rebus inanibus et probrosis operam dabant, improbitatem et nequitiam obiurgasse.

Peracta quaestione de quibusdam locis breuiter adnotandum esse censeo, qui quanquam prae se ferunt Cornuti nomen, tamen nil pertinent ad L. Annaeum Cornutum. Atque primum quidem Marcum Cornutum a Fulgentio[4] expositionis sermonum antiquorum cap. 20 p. 117, 16 Helm impudenter confictum tanquam saturae scriptorem suo iure reiecerunt Iahn in Persii prolegg. p. XXIII seq.

---

[1]) De indole huius narrationis conferatur Fr. Marx apud Wissowam uol. I p. 2233, 44.

[2]) Ita restituit locum corruptum Pithoeus: *et necio et operio* Bernensis: *uescio et opericon* plurimi libri.

[3]) cf. C. F. Heinrich, ed. Lips. 1844 ab Ottone Iahn curata, p. 112 ad u. s. s. C. F. Hermann, ed. Lips. 1854, praef. p. X. I. Albini, studi Ital. di filol. class. II (1894) p. 356. G. Némethy, ed. Budapest. 1903, p. 116.

[4]) Leguntur haec: 'nam et Marcus Cornutus (*Cornatus* codd. Parisini 242 s. IX et 3088 s. X) in satira sic ait: *tittiuiles* (*textiuilices* consensus codd. classis *β*) Flacce do tibi.'

eumque secutus L. Lersch, Fab. Planciad. Fulgent. de abstrusis sermon. (Bonnae 1844) p. 48. 87; quibuscum consentit P. Wessner, Commentat. philol. Ienenses VI (1899) p. 137. Neque magis fide dignum esse puto id, quod legitur apud scriptorem uitae Persianae loco haud dubie corrupto de Cornuto tragico poeta (p. 58, 21 B.): 'nam Cornutus illo tempore *tragicus*[1]) fuit, sectae *poeticae*,[2]) qui libros philosophiae reliquit'. Quae uerba incommodo loco a posteriore quodam homine sciolo interiecta[3]) haud scio an neminem moueant, ut tragicum fuisse Cornutum putet cum Welckero, griech. Trag. III p. 1456 seq. et Iahnio l. s. p. XXII seq. Nam ut per se ualde suspiciosa est auctoritas unius huius testimonii propter incertam lectionem, eo magis de fide dubitabit quicunque quam saepe res ineptissimas nescio unde haustas uel excogitatas commentatores posteriores protulerint considerauerit.

Praeterea iniuria adscribitur Cornuto Ioannis Lydi de cometis disputatiuncula (= de ostent. cap. 10—15^{b} p. 45, 21 W.) in codice Laurentiano plut. 58 no. 13, anno 1491 ab Ioanne Rhoso scripto, hisce subscriptionis uerbis: '... *φρουνούτου περὶ θεῶν καὶ κομητῶν* ...' Quod inde factum esse quod '*φρουνούτου ἐκ τῶν παραδεδομένων ἐπιδρομὴ κατὰ τὴν ἑλληνικὴν θεωρίαν*' i. e. Cornuti quod extat de theologia graeca compendium praecedit, C. Wachsmuth, prolegg. ad Lyd. de ostent. p. XVI adn. 11 edocuit. Vnde uero constituerit Cornuti 'de Italia' librum G. Laemmerhirt, Commentat. philol. Ienens. IV (1890) p. 383 adn. non inueni. Neque probabiliter coniciendi ansam reliquerunt quae L. Ioannes Scoppa (collect. c. 2 in Gruter. Lampad. I 895) scripsit: 'Cornutus philosophus de urbis Romae antiquitate ad Palaemonem grammaticum . . .', quoniam quae sit fides habenda his uerbis post Iahnium l. s. p. XX adn. uel maxime dubito. Postremo, ut omittam disticha quae uocantur Cornuti[4]) minime huc pertinentia, scholia quae Cornuti nomine

---

[1]) *grammaticus* coniecit de Martini l. s. p. 50: *grammaticus* uel *criticus* Preller, Zeitschr. f. Altert.-Wissensch. 1846 no. 6 p. 43: *tempore tragico* Osann, Philolog. II (1847) p. 384.

[2]) *stoicae* recte emendauit Pithoeus. Totum locum ita proposuit scribendum G. Némethy, edit. praef. p. 6: 'nam Cornuto illo tempore traditus fuit (sc. Persius), sectae Stoicae philosopho, cui libros reliquit'; quae ualde recedunt a litterarum uestigiis.

[3]) cf. Th. Bergk, Zeitschr. f. Altert.-Wissensch. 1845 no. 16 p. 125 Heinrich l. s. p. 46 adn. 9. Hermann l. s. praef. p. VI seq.

[4]) ed. H. Liebl, die Disticha Cornuti, auch Cornutus oder Distigium des Io. v. Garlandia genannt, und der Scholiast Cornutus. (Progr. Straubing 1888)

ornata leguntur in commentariis ad Persium et Iuuenalem minime profecta esse a L. Annaeo Cornuto pro certo affirmari potest. eodemque iure adnotationes quae extant sub eius nomine ad paucissimos Lucani uersus adscriptae (ad I 214 [M. Annaei Lucani Commenta Bernensia p. 25, 12 Vsener]. III 375 [p. 109, 29 Vs.]. III 381 [p. 110, 6 Vs.] Annaei auctoritati abrogantur.

Restat ut reliquias Cornuti componam omnes quas indagare potui. Quarum quidem dispositionem ita institui, ut primo loco afferrem fragmenta quae spectant ad philosophica Annaei studia. Altera compositionis parte continentur quae grammatico et rhetori debentur exempla, quibus adnexui ea quae unde sint hausta non iam apparet. In exscribendis Simplicii testimoniis (p. 76—78) liberalitate usus sum Caroli Kalbfleisch, qui Hermanno Diels benignissime intercedente codicum collationes comiter mihi suppeditauit. Quibus uiris aequum atque iustum est gratias agere debitas. Concessit mihi ille u. d. lectiones horum codicum:

Marc. 224 saec. XI (J)
Marc. 225 saec. XIV (K)
Ambr. E 99 sup. saec. XIII (L)
Paris. 1942 saec. XIII/XIV (A).

JLA melioris classis codices sunt, cum K alteram librorum manuscriptorum classem repraesentet. Huius scripturis lectio uulgata, quam *v* littera significaui, innititur. De codice Marciano 225 (K) conferatur A. Busse, Comment. in Aristot. uol. IV 3 p. XIII. De codicum aetate parum recte adnotauerunt Fr. Littig, Andronikos von Rhodos I (dissert. Monac. 1890) p. 47; III (Progr. Erlang. 1895) p. 13; A. Busse, Comment. in Aristot. uol. IV 1 p. LIII adn.

III. FRAGMENTA.

I. De Aristotelis categoriis. (*p. 18—25.*)[1])

Porphyrius in Aristotelis categorias p. 59, 10 Busse. *Οἱ περὶ Ἀθηνόδωρον καὶ* Κορνοῦτον *οἱ τὰ ζητούμενα περὶ τῶν λέξεων καθὸ λέξεις, οἷα τὰ κύρια καὶ τὰ τροπικὰ καὶ ὅσα τοιαῦτα, (διαφοραὶ γάρ ἐστι λέξεων καθὸ λέξεις εἰσί), τὰ τοιαῦτα οὖν προφέροντες καὶ ποίας ἐστὶ κατηγορίας ἀποροῦντες καὶ μὴ εὑρίσκοντες ἐλλιπῆ φασιν εἶναι τὴν διαίρεσιν, ὡς ἂν μὴ πάσης φωνῆς σημαντικῆς εἰς αὐτὴν περιλαμβανομένης.* (*p. 19. 21. 23.*)

Porphyrius in Aristotelis categorias p. 86, 20 Busse. *Ἐ. Ἆρα οὖν πάντες συγχωροῦσι τὴν εἰς τὰ αὐτὰ γένη καταρίθμησιν τῶν σημαντικῶν λέξεων πρώτως καὶ προηγουμένως τῶν πραγμάτων;*

Ἀ. Οὐδαμῶς· Ἀθηνόδωρος γὰρ ᾐτιάσατο (ita Busse secundum Simplic. f. 15 u 32[2]): obliter. cod. Mutin. 69: *ᾐτήσατο* apographa) *ὁ Στωϊκὸς βιβλία γράψας Πρὸς τὰς Ἀριστοτέλους Κατηγορίας* Κορνοῦτός *τε ἐν ταῖς Ῥητορικαῖς τέχναις καὶ ἐν τῇ πρὸς Ἀθηνόδωρον ἀντιγραφῇ καὶ ἄλλοι πλεῖστοι.* (*p. 18. 23. 25.*)

Simplicius in Aristotelis categorias f. 5 r 24 u. 1[3]) (ed. Basileensis apud Michaëlem Isingrinium 1551 fol.). *Λοιπὸν δὲ τὸ περὶ τῆς εἰς τὰ κεφάλαια διαιρέσεως τοῦ βιβλίου λέγειν ὑπολείπεται, ἅ τινες*[4]) *μὴ ἐπιστήσαντες, ὅπως τε κατ᾽ ἄρθρα διῄρηνται, καὶ ὅπως τήν τε πρὸς τὸν ὅλον σκοπὸν χρείαν ἀποπληροῦσι καλῶς, καὶ τὴν πρὸς ἄλληλα συνέχειαν διασῴζουσι, στοιβηδὸν κεῖσθαι νομίζουσι τὰ κεφάλαια, κατὰ τὸν ὑπομνηματικὸν τρόπον. καὶ δὴ καὶ* (*καὶ* om. LKυ) *ἀντιλέγουσιν αὐτῷ τινες ἀθετοῦντες τὴν διαίρεσιν, οἱ μὲν ὡς*

---

[1]) Reuocatur his numeris qui legit ad paginas huius dissertationis.

[2]) uide infra p. 77 '. . . *αἰτιῶνται τὴν διαίρεσιν.*'

[3]) = f. A' 8 b ed. Venet. 1499 fol. F. Littig, Andronikos von Rhodos III (Progr. Erlangen 1895) p. 18; quem locum debeo u. d. C. Kalbfleisch.

[4]) Verba '*τινὲς μὴ ἐπιστήσαντες — καὶ Ἀθηνόδωρος*' exscripsit Brandis in edit. Acad. Reg. Boruss. Aristotelis operum uol. IV (Berol. 1836) p. 30 b adn. ***.

πλεονάζουσαν μάτην, οἱ δὲ ὡς πολλὰ παρεῖσαν (*παριεῖσαν v*) *ὥσπερ* (*ὡς* Kv) *Κορνοῦτος* (*Κορνοῦτος* K) *καὶ Ἀθηνόδωρος, οἵτινες περὶ λέξεων οἰόμενοι τὸν σκοπὸν εἶναι, καθὸ λέξεις εἰσί, πολλὰς λέξεις προβάλλοντες, τὰς μὲν κυρίας, τὰς δὲ τροπικάς, ἐλέγχειν οἴονται τὴν διαίρεσιν ὡς οὐ πάσας τὰς* (*τὰς* om. *v*) *λέξεις περιλαβοῦσαν* (*περιβαλοῦσαν* A *περιλαμβάνουσαν v* Littig), *οἳ καὶ διαίρεσιν τῶν ὀνομάτων οἴονται ποιεῖσθαι εἰς ὁμώνυμα καὶ συνώνυμα καὶ παρώνυμα. καὶ εἶναι τὸ βιβλίον παντοδαπῶν θεωρημάτων σωρείαν ὑπολαμβάνουσι, λογικῶν τε καὶ φυσικῶν καὶ ἠθικῶν καὶ θεολογικῶν. εἶναι γὰρ τὰ μὲν περὶ ὁμωνύμων καὶ συνωνύμων καὶ παρωνύμων σκέμματα λογικά· ἔτι δὲ καὶ τὸ περὶ τῶν ἀντικειμένων· τὰ δὲ περὶ κινήσεως φυσικά· ἠθικὰ δὲ τὰ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, ὥσπερ θεολογικὰ τὰ περὶ τῶν δέκα γενῶν φιλοσοφήματα. τὸ δὲ ἀληθὲς οὐχ οὕτως ἔχει. οὔτε γὰρ διαίρεσιν ποιεῖται τῶν ὀνομάτων. οὐ γὰρ ἂν τὰ ἑτερώνυμα καὶ πολυώνυμα παρῆκεν, ἀλλ' ἔστιν, ὡς εἰς μεγάλα μέρη διελεῖν, τριμερὲς τὸ βιβλίον.* (*p. 19. 21. 23.*)

Simplicius in Aristotelis categorias f. 15 u 32 u. 10[1]). *Ἄλλοι δὲ πολλοὶ πρὸς αὐτὴν ἀμφεσβήτησαν, αὐτόθεν κατηγοροῦντες τῆς εἰς τοσοῦτον πλῆθος διαιρέσεως, ὥσπερ Ἀθηνόδωρος ἐν τῷ Πρὸς τὰς Ἀριστοτέλους μὲν Κατηγορίας ἐπιγεγραμμένῳ βιβλίῳ, μόνην δὲ τὴν εἰς τοσοῦτον πλῆθος διαίρεσιν ἐξετάζοντι· καὶ Κορνοῦτος δὲ ἐν οἷς πρὸς Ἀθηνόδωρον καὶ Ἀριστοτέλην ἐπέγραψεν· καὶ οἱ περὶ τὸν Λούκιον δὲ καὶ τὸν Νικόστρατον, ὥσπερ πρὸς τὰ ἄλλα πάντα σχεδόν, οὕτως καὶ πρὸς τὴν διαίρεσιν ἀντειρήκασιν· ληπτέον δὲ ἐν ὅροις ὡρισμένοις τὰς ἀντιλογίας τριχῇ διαστειλαμένους αὐτάς. καὶ γὰρ οἱ μὲν ὡς πλεονάζουσαν αἰτιῶνται τὴν διαίρεσιν· ἕτεροι* (*ἄλλοι* Kv) *δὲ ὡς ἐλλιπῆ καταμέμφονται· τρίτοι δέ εἰσιν οἱ ἄλλα ἀντ' ἄλλων εἰσῆχθαι γένη νομίζοντες.* (*p. 18. 22.*)

Simplicius in Aristotelis categorias f. 33 r 14 u. 4[2]). *Πρὸς δὲ Κορνοῦτον* (*κουρνοῦτον* L² *v*) *καὶ Πορφύριον τὴν ῥοπὴν κατὰ βαρύτητα καὶ κουφότητα θεωρουμένην* (*θεωρουμένων* Kv) *ποιότητα* (*ποιότητας* K *ποσότητα v ποιότητα* in marg. ed. Bas.) *λέγοντάς φησι* (sc. *ὁ Ἰάμβλιχος*) *τὴν ῥοπὴν μὴ εἶναι βαρύτητα καὶ κουφότητα, ἀλλὰ μέτρον βαρύτητος καὶ κουφότητος.* (*p. 24. 26 adn.*)

Simplicius in Aristotelis categorias f. 47 u 51 u. 45[3]). . . . *Εἴτε οὖν ὡς Ἀθηνόδωρος οἴεται πρός τι εἶναι κατὰ Ἀριστοτέλη* (*Ἀριστοτέλην* KA: compendio L). *ἐφ' οὗ ἡ προσηγορία*

---

[1]) = f. Γ' 6a ed. Venet. = p. 47b 18 Brandis.

[2]) = f. Ζ' 7a ed. Venet. = p. 57a 16 Brandis.

[3]) = f. Γ' 5b ed. Venet.; desunt apud Brandisium.

ἐπιζητεῖ τὸ πρὸς ὃ λέγεται. ὁ γὰρ δοῦλον ἀκούσας ἐπιζητεῖ τὸν οὗ ἐστι δοῦλος · εἴτε ὥς Κορνοῦτος (in *κουρνοῦτος* mut. L) *πρός τι εἶναί φησιν οἷς συμπροσπίπτει πρὸς ἕτερον ἡ* (*ἡ* supra uers. J: om. A) *σχέσις, οὐ μέντοι ἡ συντακτική, ὡς ἐπὶ τῶν ἐχόντων καὶ ἐχομένων, ἀλλ' ἡ πρὸς ὑπόστασιν, ὅταν* (*ὅτι* L) *αὐτῷ τῷ ὃ εἶναι* (*ᾧ* LA: om. JK: cf. *ὅ ἐστιν* f. 48 r 51 u. 1 et 25) *τὴν πρὸς ἕτερον ἀπόνευσιν ἔχῃ* (*ἔχει* JL), *κατ' οὐδένα τρόπον τὸ πηδάλιον ἢ τὸ πτερὸν πρός τί ἐστιν . οὔτε γὰρ ἐπιζητεῖ τι, πρὸς ὃ λέγεται, οὔτε κατὰ* (ante *κατὰ* add. *τὴν* A) *τὴν πρὸς ἕτερον ὑποστατικὴν σχέσιν λέγεται.* (*p. 24.*)

Simplicius in Aristotelis categorias f. 89 r 13 u. 20[1]). *Καὶ οἱ Στωϊκοὶ δὲ παραλαβόντες τὸν ὁρισμὸν λέγοντα τὸ καθόλου διάστημα τῆς τοῦ παντὸς φύσεως παρέτρεψαν τὸν λόγον ἐπὶ τὸ διάστημα τῆς κινήσεως, καὶ πλημμελοῦσιν οὗτοι . διότι τῶν Πυθαγορείων τὸ διάστημα φυσικὸν καὶ ἐν φυσικοῖς λόγοις, καὶ εἰ οὕτω τις βούλοιτο καλεῖν, ἐν τοῖς σπερματικοῖς, ὥς ποτε καὶ Κορνοῦτος ὀψὲ τοῦτο ὑπώπτευσεν.* (*p. 24.*)

Simplicius in Aristotelis categorias f. 91r 6 u. 10[2]). *Κορνοῦτος δὲ ἀπορεῖ, εἰ* (om. A) *τὸ ποῦ τοῦ τόπου καὶ τὸ ποτὲ τοῦ χρόνου κατὰ τὸν χαρακτηρισμὸν τῶν λέξεων διενηνοχότα εἰς ἰδίας κατατέτακται* (ita JLK: *κατατετάχθαι* Av) *κατηγορίας, διὰ τὸ τὴν πρόθεσιν περὶ χαρακτήρων εἶναι λεκτικῶν · τί δήποτε οὐχὶ καὶ ταῦτα τῇ κατηγορίᾳ ταύτῃ* (*τῆς κατηγορίας ταύτης* A) *προσέθηκεν, οἷον τὸ 'Διωνόθεν' καὶ 'εἰς Δίωνα', καὶ τὰ τοιαῦτα πολλὰ ὄντα; ὅμοια γάρ ἐστι τῷ ''Ἀθήνηθεν' καὶ 'εἰς 'Αθήνας'. πρὸς δὲ ταῦτα ἐξαρκεῖ λέγειν, ὅτι οὐ περὶ χαρακτῆρος λέξεώς ἐστιν ἡ τῶν κατηγοριῶν διαίρεσις. καθόλου γὰρ τὰς μὲν λεκτικὰς*[3]) (ita ed. Basil.: *διαλεκτικὰς* JLKA ed. Venet.) *διαφορὰς εἰς ὄνομα ἀνῆγον ἢ ῥῆμα ἤ τι τοιοῦτον, οὐ μέντοι εἰς κατηγορίαν τινά. ἐπὶ δὲ τούτων ἔχεσθαι μὲν δεῖ* (*δὴ* L) *τῶν φωνῶν, οὐ μέντοι κατὰ τὸ πτωτικὸν σχῆμα τῆς λέξεως, ἀλλὰ διαιρούμενον τὰς σημασίας κατὰ τὰς τῶν ὄντων διαφοράς · ὅθεν οὔτε ὁ τόπος, ἐπειδὴ τὸν αὐτὸν χαρακτῆρα ἔχει τῷ 'ἵππος', οὔτε ὁ χρόνος, ἐπειδὴ τὸ αὐτὸ σχῆμα τῆς λέξεως ἔχει τῷ 'λύκος', τῆς αὐτῆς εἰσι* (*ἐστι* L) *κατηγορίας · ἀλλὰ τὰ μὲν τοῦ ποσοῦ ἐστι, τὰ δὲ τῆς οὐσίας. Πάλιν δὲ ὁ αὐτὸς ἀνὴρ τὸ πόῤῥω καὶ ἐγγὺς εἰς τὸ πρός τι ἀνάγειν ἀξιοῖ, τοπικὸν ἔχοντα τὸ ὑποκείμενον.* (*p. 24.*)

---

[1]) = f. P' 5 a ed. Venet. = p. 80 a 18 Brandis.

[2]) = f. P' 8a ed. Venet.; desunt apud Brandisium.

[3]) Recte sic scribitur, ut benignissime mecum communicauit u. d. C. Kalbfleisch.

II. De Vergilio. (*p. 27—30.*)

Charisius GLI p. 125, 16 K. 'CIVITATIVM Annaeus Cornutus ad Italicum de Vergilio libro X "iamque exemplo tuo etiam principes ciuitatium, o poeta, incipient similia fingere".' (*p. 28*).

III. Commentarius in Vergilium. (*p. 31—47.*)

A) In Bucolica.

Interpres Veronensis ad ecl. III 40 p. 395, 3 H. 'IN MEDIO Cornutus sic aestimat dic[tum esse, ut] (ita Herrmann: *dic[tum esse ut illud]* Keil: *dic[it in medio sicut ill]ud* Angelo Mai) "in medio mihi Caesar erit" ⟨georg. III 16⟩ pro "eminebit."' (*p. 35. 45.*)

Interpres Veronensis ad ecl. VI 9 p. 398, 8 H. 'NON INIVSSA CANO Cornutus putat hoc ad Musas pertinere'. (*p. 45.*)

Gellius II 6, 1 seq. (= ad ecl. VI 75—77). 'Nonnulli grammatici aetatis superioris, in quibus est Cornutus Annaeus, haut sane indocti neque ignobiles, qui commentaria in Vergilium composuerunt, reprehendunt quasi incuriose et abiecte uerbum positum in his uersibus ⟨ecl. VI 75—77⟩:

"Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias uexasse rates et gurgite in alto
a! timidos nautas canibus lacerasse marinis."

"Vexasse" enim putant uerbum esse leue et tenuis ac parui incommodi, nec tantae atrocitati congruere, cum homines repente a belua immanissima rapti laniatique sint.' cf. etiam Macrobius Saturn. VI 7, 4. (*p. 31. 35. 43.*)

B) In Georgica.

Seruius auctus ad georg. I 277. 'PALLIDVS ORCVS Probus "Horcus" (ita Ribbeck: *us* litterae euanuerunt in codice Leidensi: *Orchus* Lersch, Riese, Keil, Thilo: *Orcus* Steup) legit, Cornutus uetat (*putat* Steup) aspirationem addendam.' (*p. 34. 37. 43.*)

Gellius II 6, 3 (= ad georg. III 4 seq.). 'Item aliud huiuscemodi reprehendunt ⟨georg. III 4 seq.⟩:

"Quis aut Eurysthea durum
aut inlaudati nescit Busiridis aras?"

"Inlaudati" parum idoneum uerbum esse dicunt, neque id satis esse ad faciendam scelerati hominis detestationem, qui, quod hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detestatione (ita codd. Macrob. Saturn. VI 7, 5: *de retra-*

ctione uel *detract(at)ione* codd.: *deprecatione* Maduig) execrationeque totius generis humani dignus esset. cf. etiam Macrobius Saturn. VI 7, 5. [III 5, 9.] (*p. 37. 43.*)

Placidus CGL V p. 29,4 (p. 77, 18) (= ad georg. III 431). 'INGLVVIEM Cornutus uentrem, Plinius (*plenius* uel *plenus* codd.) edacitatem.' (*p. 45.*)

C) In Aeneidem.

Seruius auctus ad Aen. I 45. 'INFIXIT Cornutus ait "inflixit" uerius, quod sit uehementius.' (*p. 34. 43.*)

Seruius auctus ad Aen. I 150. 'IAMQVE FACES ET SAXA VOLANT multi non "uolant", sed "uolunt" inuenisse se dicunt. sed Cornutus (*curnutus* codex Fuldensis C) 'uerendum', ait, 'ne praeposterum sit faces uelle, et sic saxa, cum alibi maturius et ex ordine dictum sit ⟨Aen. VII 340⟩ "arma uelit poscatque simul rapiatque iuuentus"'. (*p. 31. 34. 35. 43*).

Seruius ad Aen. I 488. 'SE QVOQVE PRINCIPIBVS PERMIXTVM AGNOVIT ACHIVIS aut latenter proditionem tangit . . . aut uirtutem eius uult ostendere; . . . Cornutus tamen dicit uersu isto ⟨Aen. II 396⟩ "uadimus inmixti Danais" hoc esse soluendum'. (*p. 31. 35. 43. 45*).

Seruius ad Aen. III 46. 'IACVLIS INCREVIT ACVTIS uituperabile enim est, poetam aliquid fingere, quod penitus a ueritate discedat. denique obicitur Vergilio de mutatione nauium in nymphas ⟨Aen. IX 81⟩; et quod dicit per aureum ramum ad inferos esse descensum ⟨Aen. VI 141⟩; tertium cur Iris Didoni comam secuerit ⟨Aen. IV 698⟩.' (p. *44*).

Interpres Veronensis ad Aen. III 691 p. 429, 22 H. 'COMES INFELICIS VLIXI Cornutus: "num indecore hoc dicitur, cum sit Vlixes hostis Aeneae?"'

cf. etiam Seruius auctus ad l. s. 'nam Aeneas incongrue infelicem Vlixen dicit'. (*p. 41. 43*).

Charisius GL I p. 127, 17 K. (= ad Aen. IV) 'DIDVN . . . itaque et L. Annaeus Cornutus in Maronis commentariis (ita ed. princ. Neap. a. 1532: *comm.* codex Neapolit. Borbon. IV A 8) Aeneidos X «Didus» ait, "hospitio Didus exceptum esse Aenean'." (*p. 28. 29.*)

Placidus CGL V p. 33,10 (p. 82, 20. 116, 5) (= ad Aen. IV 57). 'MAGMENTVM alii pinguissimum exterum (*excere* uel *excernere* uel *exercere* codd.). alii secunda prosecta. Cornutus quidquid

mactatur, id est quidquid dis datur' (ita Iahn, Buecheler: *distratur* uel *distraitur* uel *distatur* codd.). cf. etiam Seruius auctus ad Aen. IV 57. (*p. 45*).

Interpres Veronensis ad Aen. IV 178 p. 431, 15 H.[1]). 'ILLAM TERRA PARENS IRA INRITATA Cornutus ". . . . . . (quid) . . . . e posset."' (*p. 41. 45*).

Macrobius Saturn. V 19, 1 (= ad Aen. IV 698 seq. et Aen. VI 141). 'In libro quarto in describenda Elissae morte ait (sc. Vergilius), quod ei crinis abscisus esset, his uersibus ⟨Aen. IV 698 seq.⟩:

"Nondum illi flauum Proserpina uertice crinem
abstulerat Stygioque caput damnauerat Orco."

deinde Iris a Iunone missa abscidit ei crinem et ad Orcum refert. hanc Vergilius non de nihilo fabulam fingit sicut uir alias doctissimus Cornutus existimat, qui adnotationem eius modi adposuit his uersibus: "unde haec historia ut crinis auferendus sit morientibus, ignoratur, sed adsueuit poetico more aliqua fingere ut de aureo ramo" ⟨Aen. VI 141⟩. haec Cornutus . . . tantus uir, Graecarum etiam doctissimus litterarum . . .' (*p. 44*).

Interpres Veronensis ad Aen. V 488 p. 435, 3 H. 'Long.: "adnotat Cornutus, quod indecenter sacram matri suae auem sagittis figendam constituerit" (sc. Aeneas).'

cf. Seruius ad l. s. '. . . uituperatio Aeneae, quod suspenderat auem maternam.' (*p. 42. 43*).

Seruius ad Aen. IX 81. 'IPSA DEVM FERTVR GENETRIX figmentum hoc licet poeticum sit, tamen, quia exemplo caret, notatur a criticis.' (*p. 44*).

Seruius auctus ad Aen. IX 346. 'ET MVLTA MORTE RECEPIT PVRPVREVM secundum Homerum *** (*graeca uerba, uehementer corrupta, non adscripsit Thilo*) Cornutus "nocte" legit et adnotauit: "utrum" »nocte« pro »morte«, an cum multa nox esset?"' (*p. 35. 43*).

Seruius ad Aen. IX 672. 'DVCIS IMPERIO COMMISSA Cornutus uere et melius sensit, dicens, portam quae ducis imperio commissa fuerat, hoc est clausa, eam aperuerunt'. (*p. 32. 45.*)

Gellius II 6, 4 (= ad Aen. X 314). 'Item aliud uerbum culpauerunt:

"Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum",

---

[1]) cf. Buecheler, Annal. Fleckeis. XCIII (1866) p. 70.

tamquam si non conuenerit dicere "auro squalentem", quoniam nitoribus splendoribusque auri squaloris inluuies sit contraria.' (*p. 37. 43.*)

Seruius auctus ad Aen. X 547. 'DIXERAT ILLE ALIQVID MAGNVM Cornutus[1] (*Corintus* Daniel: *Corinthus* Commelinus) ut sordidum inprobat.' (*p. 44.*)

IV. De figuris sententiarum. (*p. 47—58.*)

Gellius IX 10 lemmate capitis. 'Quod Annaeus Cornutus uersus Vergilii, quibus Veneris et Vulcani concubitum pudice operteque dixit ⟨Aen. VIII 404 seqq.⟩,[2] reprehensione spurca et odiosa inquinauit.'

Ibid. § 5 seq. 'Sed Annaeus Cornutus, homo sane pleraque alia non indoctus neque inprudens, in secundo tamen librorum, quos de figuris sententiarum conposuit, egregiam totius istius uerecundiae laudem insulsa nimis et odiosa scrutatione uiolauit. Nam cum genus hoc figurae probasset et satis circumspecte factos esse uersus dixisset, "membra tamen", inquit, "paulo incautius nominauit".' (*p. 48. 57.*)

[Iulius Rufinianus] de schematis dianoeas RL p. 60, 10 H. 'Sed eius modi figurae, quae iuuenilius (ita I. F. Heusinger, Iahn: *iuuenibus* ed. princ. Basileensis a. 1521, R. Stephanus, Halm) in schola lasciuiunt (*lasciuiuntur* ed. princ.), ut Cornutus ait, minime maturae (ita Pithoeus: *minimae naturae* ed. princ.) sunt et parum causis (ita Mailley apud Capperonnerium: *ganeis* ed. princ.: *canis* Pithoeus prob. Ruhnk.) foroque conueniunt.' (*p. 56.*)

V. '<u>ΡΗΤΟΡΙΚΑΙ ΤΕΧΝΑΙ.</u> (*p. 58—61.*)

Porphyrius in Aristotelis categorias p. 86, 23 Busse: uide supra p. 76. (*p. 58.*)

Nicolaus Sophista Progymnasm. RG II 631, 6 W. = III 483,25 Sp. *Διὸ ὑπ' ἐκεῖνα τὰ παρὰ τῷ Κορνούτῳ ὀνομαζόμενα καὶ Πορφυρίῳ ἅπαντα χρὴ πειρᾶσθαι ἀνάγειν τὰ πράγματα, εἰδοποιοῦντας αὐτῶν τὰς ὑποθέσεις. δύναιτο δ' ἄν τις καὶ ἐκείνων τὴν μὲν διαίρεσιν διαφορὰν λέγειν, ἀνάγειν δὲ αὐτὰ ἐπὶ τὰ τρία εἴδη κτλ.* (*p. 59.*)

---

[1] cf. Ribbeck, prolegg. p. 125.

[2] Leguntur apud Vergilium l. s. haec: 'ea uerba locutus
optatos dedit amplexus placidumque petiuit
coniugis infusus gremio per membra soporem.'

VI. De enuntiatione uel orthographia. (*p. 61—71.*)
Vide Cassiodorii excerpta GL VII p. 147—154 K.

VII. Reliquiae sedis incertae.

Iamblichus apud Stobaeum Ecl. I 49, 43 p. 383, 28 W.... *ἀλλ' εἰ οὕτως γίγνεται ὁ θάνατος, προαναιρεῖται ἢ συναναιρεῖται* (*συναιρεῖται* cod. Parisinus P 2129) *ἡ ψυχὴ τῷ σώματι, καθάπερ Κορνοῦτος οἴεται.* (*p. 26 seq.*)

Syrianus in Aristotelis Metaphysica p. 106, 5 Kroll. *Παραφέρεται δὲ καὶ Βοηθὸς ὁ περιπατητικὸς ἐκ τῶν παρὰ τῷ Ἀριστοτέλει κατηχήσεων εἰς ταὐτὸν ἄγων τοῖς γενικοῖς τὰς ἰδέας· ᾧ καὶ τὸν Κορνοῦτον συντάττειν εὔλογον, οὐ πόῤῥω καὶ αὐτὸν ταύτης ὑπενεχθέντα τῆς δόξης.* (*p. 24 seq.*)

Charisius GL I p. 201, 10 K. 'IN MVNDO pro "palam" et "in expedito" ac "cito" ... Caecilius ⟨CRF[3] p. 91 [276] R.⟩ quoque, ut Annaeus Cornutus lib̄ tab̄ castar̄ patris sui[1]) "proferto qui (*profertoque* Ribbeck) nobis in mundo futurum lectum" '.

---

[1]) Proposuerunt uiri docti has lectiones: *libro fabularum castarum patris sui* Lindemann: *libro tabernariarum 'patris sui'?* Iahn, prolegg. in Pers. p. XXI adn.: *libro tabernariarum Afranii* Preller, Ephem. litt. Hal. a. 1845 I p. 1139: *libro fabularum ...?* librum Cornuti patris a filio uulgatum significari putauit Osann, ed. Cornut. p. XXIII adn.: *in libro I epistularum* Ribbeck coniecerat CRF[2] p. 79 adn.: *libro tabularum castrensium* Buecheler, mus. Rhen. uol. XXXIV (1879) 347: de titulo Rastrariae fabulae Caecilianae ipse cogitaui p. 72.

Indices.

I. Conspectus locorum quibus Cornuti reliquiae extant.

II. Tabula argumenti.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Ioannes Hermannus **Rudolfus Reppe** Misnensis natus sum prid. Id. Febr. a. MDCCCLXXX patre Hermanno, matre Augusta e gente Dietrich, quam praematura morte abhinc tres annos mihi abreptam esse ualde doleo. Fidem profiteor Lutheri euangelicam. Primis litterarum elementis instructus per quinque annos discipulus fui Dresdensis scholae Ehrlichianae semper mihi carissimae. Cui quantum debeam, quoniam egregria atque liberali illius disciplina totus uitae meae cursus constitutus est, nunquam obliuiscar. Nec non gymnasii Wettiniani, quod floret Ottone Meltzero rectore, cum ipsi regnanti tum illustrissimis uiris doctis qui litteris me instituerunt inde a uere a. XCV usque ad a. MCM gratum perpetuo profitebor animum. Vere a. MCM maturitatis testimonium consecutus Lipsiam migraui, ut studiis philologis et historicis operam nauarem. Ac docuerunt me uiri humanissimi Berger (†), Brugmann, Buchholz, Fricke, Heinze, Immisch, Iungmann, Kaerst, Köster, Lamprecht, Lipsius, Marx, Schreiber, Seeliger, Studniczka, Wachsmuth, Windisch, Wundt. Postquam proseminarii philologi exercitationibus Immischio moderante per duo semestria interfui, eximia Lipsii, Marxii, Wachsmuthii benignitate in seminarium philologum receptus sum, cuius per tria semestria ordinarius fui sodalis, per tertium senior. Praeterea seminariis historico et hist.-geographico ut adscriberer liberaliter concesserunt Berger (†), Buchholz, Kaerst, Lamprecht, Seeliger, Wachsmuth. Ad archaeologicas exercitationes, et publicas et eas quas habuit in seminario archaeologico, comiter aditum mihi patefecit Studniczka, ad seminarium paedagogicum benigne me admisit Iungmann, ad exercitationes, quas de Romanis inscriptionibus et de re metrica nuper instituit, Marx, ad societatem Graecam Lipsius, ad publicas exercitationes archaeologicas Schreiber. Deinde interfui ipse famulus disputationibus quibus ueterum Indorum litteras atque doctrinam explicauit Windisch.

Quibus omnibus uiris doctissimis gratias habeo maximas; praecipue autem cum **Kaerstio** nunc Herbipolitano tum **Marxio** benignissimis studiorum meorum fautoribus semper pium gratumque animum seruabo.

Bergeri (†) quoque praeceptoris carissimi, cuius famulus fui, memoriam adsidue pia reuerentia fouebo atque colam.